260d
16. liv.

William Long.

Ex Biblioth. Dörrbiana A. . o— .

0Δ5

E 1117-

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

DACTYLIOTHECA

SEU

GEMMARUM ANNULORUMQUE

EX

ABRAHAMI GORLAEI

ALIORUMQUE ERUDITORUM

CIMELIARCHIIS PROMPTUARIUM.

ABRAHAMUS GORLÆUS, ANTVERPIANUS Ætatis suæ LII. Aº MDCI.
Gorlæus hic in ære scalptus, æs cui,
Argentum, & aurum, Roma quod vel Græcia
Signauit vnquam, gemmaque & carus lapis
Olim vetustis destinatus annulis
Perennitatis gratiam debent suæ.
Nunc experitur an Metalla a sæculis
Qui vindicata sæculo nostro dedit.
Ipsum futuris dent Metalla sæculis.
HUGO GROTIUS.

ABRAHAMI GORLAEI
ANTVERPIANI
DACTYLIOTHECAE,
SEU
ANNULORUM SIGILLARIUM
Quorum apud Priſcos tam Græcos quam Romanos uſus,

Ex Ferro, Aere, Argento & Auro

PROMPTUARII

PARS PRIMA,

collectis aliunde & ineditis & editis Annulorum figuris auctior;

cum explicationibus

JACOBI GRONOVII.

LUGDUNI BATAVORUM,
Excudit PETRUS VANDER AA, Bibliop.

cIↃ IↃ c xcv.

Tr. R.
736.3
G669D
Pt. 1-2

Reverendiſſimo & Sereniſſimo

PRINCIPI AC DOMINO

D. ERNESTO,

D. G. ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,
S. R. J. per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Epiſcopo Leodienſi, Adminiſtratori Monaſterienſi, Hildesheimenſi ac Friſingenſi; Principi Stabulonenſi; Comiti Palatino Rheni; utriusque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonii Duci; Marchioni Francimontano &c. Domino ſuo Ser^mo

ABRAHAMUS GORLÆUS

S. D. P.

NOVELLO huic fœtui quem potiſſimùm defenſorem contra vitilitigatorum morſus deligerem, anxiè mihi diſquirenti, commodùm ſe obtulit tui, Sereniſſime Princeps, recordatio; cœpique extemplò mecum has inire rationes, non poſſe hunc meum Libellum aut digniori aut meliori offerri Patrono. Et cùm propè innumera eſſent quæ in hoc me animarent; fami-

437215

liæ, inquam, tuæ toto terrarum orbe clariſſimæ decus atque ſplendor: imperii quod in tot populos geris magnitudo: animi regii tam auguſtæ virtutes, ac ingenii divini adeò præclaræ dotes. fecit tamen inprimis inſignis quæ in te ſplendet erga omnes humanitas, & in litteras, earumque Profeſſores ſtudium, ut auderem. Quidni autem auderem, cùm te publico mortalium conſenſu, bonarum artium Præſtitem, ac ſeculi noſtri Muſageten appellari audiam; & ut omnium elegantiorum diſciplinarum peritiſſimum, ita & Rei Antiquariæ ſummum admiratorem atque cultorem eximium eſſe intelligam? Eſt quippe Antiquitatis hoc ſtudium Bavaricæ ſtirpi jam inde à multis ſeculis peculiare, & quaſi gentilitium, quod à majoribus tanquam per manus traditum etiamnunc in ſeris magis magiſque viget Nepotibus. Teſtis mihi locuples locupletiſſimum illud Sereniſſimi Fratris tui Willelmi Bavariæ Ducis Muſeum, quod Monachii viſitur, in quo præter rerum naturalium, dico foſſilium, plantarum exoticarum, animalium peregrinorum incredibilem copiam, ſpectare licet Rerum Antiquarum, Statuarum, Marmorum, Numorum, Gemmarum, & ſi quid

eſt

eſt quod ab arte & vetuſtate aliquam meretur laudem, tantam congeriem, ut in ſtuporem det ſpectatores quosvis, adeò ut primas inter omnia Principum Europæ Tameia meritò obtinere cenſeatur. Hæc cauſa fuit, Sereniſſime Princeps, quod te huic meo labori ceu tutelarem Deum legere auſus fuerim: qui vel hoc solùm nomine tibi gratus acceptusque ſit etiam atque etiam obſecro, quod ab officioſo profectus animo, tuo præſidio tutiſſimum ſe fore perſuaſum habet. quod ſi cognovero, abunde impenſis, abundè induſtriæ, abundè mihi ſatisfactum putabo; eritque in poſterum animus vel majora ſub tanto munimine moliri. Summus Parens, rerumque conditor Deus, vota conſiliaque tua, Sereniſſime Princeps, ad Reip. Chriſtianæ ſalutem ſecundet. Delphis Bat. Kal. Octob. Anno CIϽ IϽ CI.

 CAN-

437215

CANDIDO
DACTYLIOTHECÆ
MEÆ INSPECTORI
S. D.

Recte, ut reliqua omnia, a primo rerum Parente comparatum eſt, quòd hominum ſinguli latente naturæ inſtinctu in tàm diverſa rapiamur vitæ ſtudia: cùm enim tàm innumeræ ac diſcrepantes habeantur vitæ profeſſiones quibus indiga mortalitas ſe tuetur, ac oblectat, nec unius hominis ingenium omnium poſſit eſſe capax; quis non in eo ſummam admirabitur Providentiam, quòd non omnibus unam indiderit mentem Deus? Perpulchrè Poëta:

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Huic literæ ac Muſæ, illi arma ſunt cordi; eſt quem Agriculturæ paternaque delectant rura; eſt alius cui Mercatura & Lucrius ille Deus curæ. hunc Architectura, illum Pictura afficit. Sunt & ignobiliores animæ quibus magis arrident Sutoria, Fullonia, & ſi quæ aliæ ſunt artes illiberales, ac ſordidæ. quæ tametſi ſingula quaſi ſociatis operis mortalium commoditati, ac ſaluti generis humani ſtudeant, longè inter hæc exuperant, quæ quòd libero ſint digna homine, vique potius ingenii quàm externo manuum adminiculo conſtent, Liberalia cenſentur ſtudia. Hiſce ego à primis adoleſcentiæ annis delectatus, rerum præſtantium indagine

ætatem

ætatem omnem occupatam habui; præcipuè verò Hiſtoriæ & Antiquitatis cognitioni (ſine quâ vita noſtra mera caligo & tenebræ pluſquam Cimmeriæ) non minimam temporis partem locavi. Poſtquam enim partim propriâ induſtriâ, partim doctorum virorum (quibus, ut Lepades ſcopulis, perpetuò adhæſi) colloquiis rerum priſcarum notitia ſenſim mihi ſuccreviſſet, neſcio quo fato in antiquorum Numiſmatum θεωρίαν delapſus, reique dulcedine allectus, totum me trado huic contemplationi: & tanquam in Collegium III *virorum Monetalium cooptatus, nihil præter Numos veteres ſomnio. nec ſatis mihi fuit omne ſcriptorum genus qui hoc argumentum tractarunt, accuratè evolvere, & ad vivum expreſſas in chartis effigies intueri, quin ulterius progreſſus cœpi ipſemet in ipſa archetypa ſtudiosè inquirere. quid plura? habui, & tanta ubertate ut voto ſim ſuperatus meo. Nam præterquàm quòd ferè omnia quæ paſſim apud Hubertum Goltzium, fulgidiſſimum illud Rei Antiquariæ ſydus, Antonium Auguſtinum, Antonium Piſonem, Fulvium Urſinum, Sebaſtianum Ericium, Gulielmum Choulium, & Æneam Vicum extant, ad manus noſtras pervenerint, tam fauſto ſydere Pop. Rom. Genius me afflavit, ut complura alla Numiſmata conſecutus ſim, quorum apud hos nulla extat memoria, aut delineata effigies; inter quæ palmam obtinent Græca ex argento aurove. Quæ res efficit, adhortantibus maximè amicis, ut cœperim cogitare de Paralipomenis Numiſmatum antiquorum edendis, intelligo Appendicem eorum quæ hactenus aliis intacta & indicta Autoribus. Sed cùm nondum ad eum me perveniſſe numerum viderem, ut juſto complendo volumini ſat eſſent, extrema adhibita*

diligentia, ad notos, & ignotos æque perſcribo amicos, inquirant ſedulò etiam atque etiam moneo, ut quicquid Rei Numariæ quâ pretio quâ prece haberi poſſit, ad me tranſmittant. Dum in hanc curam incumbo, & undique quod in uſum meum facere poſſit corrado, magna Anulorùm Antiquorum ex omni metallo, & Gemmarum felici illo artium ſeculo inciſarum, copia ad me mittitur. Quo tanquam incomparabili comperto theſauro, ſtatui priori conſilio aliquantiſper immutato, Paralipomenûmque editione in commodius tempus rejecta, de Anulis aliquid ſcribere, & Dactyliothecam hanc præmeſſi loco tibi dare. idque duabus potiſſimùm de cauſis, primùm quòd ob rei novitatem, & argumenti jucunditatem ab amicis, ut hoc facerem, pænè convitiis urgerer; ſecundò quòd hæc Anularia materia Numorum cognitioni ſit affinis adeò, ut mutuas ſibi præſtent operas, & altera alterius indigeat luce. Fuerat quidem animus libellum hunc adauctiorem, moleque majorem tibi afferre, ſed operarum ignavia, ne dicam perfidia deluſus, voto meo, & fortè etiam tuo ſatisfacere non potui. Interim hoc noſtro quaſi abortivo fætu utere, fruere: qui exploratoris vicem obiturus, ſi læta retulerit, ſeque tibi gratum fuiſſe renuntiet, propediem reliquam non ſolùm Anulorum Gemmarumque, ſed & ſignorum, fibularum ac monilium antiquorum, Deo vitam & vires largiente, expectato editionem: tandemque Numiſmatum illud rariorum opus, modò diutius nos ſol aſpexerit, aſpicies & inſpicies. Hac ſpe Vale, ac noſtris conatibus fave animo, linguis.

ABRA-

ABRAHAMO GORLÆO

V. C.

AEL. EVERARDUS VORSTIUS

MEDICUS

S. D.

Poſt continuam quindecim annorum peregrinationem, quâ pleraſque Europæ Sapientiam addiſcendi ſtudio adii & inſedi regiones, domum poſtliminio reverſus, cùm res etiam patrias noſcendi, virosque doctrinâ claros ſalutandi deſiderio, Bataviam noſtram obirem, famâ nominis tui excitus Delphos ante omnia mihi contendendum putavi; ubi pro ſingulari tuo candore humaniſſimè acceptus, ſatis eloqui non poſſum quantis promeritis me tibi obnoxium reddideris. Nam ſi quid unquam in hac vita mihi accidit jucundum, fuit paucorum illa quibus apud te fui dierum conſuetudo, præ quâ, ita me Phœbus amet,

Ἐγώ τ' ἂν οὔτ' Ἀμαλθείας βουλοίμην κέρας,
Οὔτ' ἔτεα πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν Ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι.

Non facilè dixerim quàm inter reliqua mihi fuerit volupe uberrimam illam Rerum antiquarum apud te conflugem ſummo cum animi mei ſtupore intueri, ſingulaque minutim perluſtrare, ac digitis contrectare. Diſpeream ſi quid in hoc genere vidi præclarius, rarius, & ſimul copioſius unum in locum congeſtum: quo nomine te facilè cum quovis condo hujuſmodi reliquiarum adſervatore poſſe certare, fere juraverim.

Con-

Contigit quidem mihi toto illo novennio, quo Italiam incolui, omneſque ejus perreptavi angulos, multa eaque præclara antiquæ ſupellectilis inſpicere conditoria, præſertim Romæ, Neapoli, Florentiæ, Bononiæ, Venetiis, aliiſque claris Italiæ oppidis: Vidi & aliquot in Germania, aliiſque in locis: vidi, inquam, & diligenter inſpexi: ſed ingenuè dico, & citra ullam adulationis notam (nec enim pàlpo alicujus eſſe didici) nullibi tàm præclara, tàm rara, tàm copioſa unum apud hominem ſimul collecta. Teſtes mihi in hanc rem erunt quicunque Vetuſtatis gnari, tuum, & aliorum perluſtrarunt Tameia. Hinc tantum ex inopinato conſpicatus venerandæ Antiquitatis theſaurum, in ſtuporem datus, in hæc Poëtæ verba eo tempore me prorupiſſe memini.

Venimus ad ſummum fortunæ: pingimus atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Ratus nullum amplius ſupereſſe culturæ ingenii genus Belgis noſtris hodie incognitum; & ut omnis elegantioris litteraturæ gloriâ, ita & Rei Antiquariæ laude noſtrates nulli jam concedere genti, nec Romulea propemodum excepta. Cœpi itaque ab eo tempore magis magiſque te amare, colere, & ὡς ἱερὸν ἔργον admirari plurimùm. Cùm verò complura apud te viſu adſerventur digniſſima; tribus tamen potiſſimum mihi præcellere viſus es: Primo Numorum Græcorum, ac Romanorum Conſularium, ſeu qui Reipublicæ & libertatis temporibus magna ex parte cuſi ſunt, raritate copioſa, copiaque rarâ: Secundò, Anulorum ſigillarium ex omni metallo, numero & pulcritudine: Tertiò Gemmarum ſummâ arte olim exciſarum aut inciſarum abundantiâ incredibili. Quorum trium

cùm per ſe ſingula ad laudem & nomen comparandum ſatis videri poſſint, quid tibi deberi putabimus, qui hæc omnia ſimul collecta ſervas? & ita ſervas, ut fruitio ſit publica? Æternam profectò ab ingenio & induſtriâ famam: quam non levi acceſſione auctum iri arbitror, ſi quæ inter hæc latent plurima, peculiaria, aliisque indicta Antiquitatis ſcriptoribus, in lucem bono publico etiam protrahas, typisque vulganda cures. Dactyliothecæ, ſeu Anulorum antiquorum, qui apud te extant, editionem, te parare intelligo. ſi ita eſt, eſt quod ex animo læter, cùm tui, tum Reipublicæ litterariæ cauſsâ: tui, quòd hinc immortalem tibi comparatum iri gloriam certò prævideam, cùm homo Belga primus in hanc arenam deſcenderis, noſtræque Genti rem Romanam non minus & notam & curæ eſſe, quàm ipſis Italis oſtenderis: Reipublicæ verò, quòd ſtudia litterarum hiſce opibus & tanquam copiis auxiliatricibus non mediocriter locupletata & adaucta iri confidam. Hortor igitur, & communi omnium litteratorum nomine te obſecro; ut cœpto operi inſiſtas, propediemque novam & avidè concupitam nobis exhibeas Dactyliothecam: quâ interim frui liceat, dùm in Numis & Gemmis eandem præſtiteris operam; in quibus ſat ſcio quod miretur habebit Italia, habebit Germania, habebit Gallia. Cui deſiderio publico ſi parueris, Laurinos, Goltziosque redivivos in te ſuſpiciet Belgica, ſuſpiciet Orbis. Vale, Vorſtiique tui (neſcio quod me tibi temperat aſtrum) memor vive. Lugduni Batavor. Kal. April. Anno CIↃ. IↃ. XCIX.

IN

ABRAHAMI GORLÆI

DACTYLIOTHECAM

& Gemmarium.

Sicut ab anellis lapides, & flava ſororum
Transferre in calices ſuccina ludus erat:
Sic e theſauri medio Gorlæus in iſtum
Has gemmas librum tranſtulit ipſe ſui:
Ut quæ vix poterant auri mercede parari,
Has vili partas Lector haberet opes.
Muſæ, quæ doctis ſcriptoribus atque libellis
Et decus & laudem præmia rara datis,
Gorlæo e veſtris gemmis properate coronam.
Sin minus, e gemmis inſtruat ille ſuis.

Joſephus Scaliger Jul. Cæſ. F.

IN

ABRAHAMI GORLÆI

DACTYLIOTHECAM

JANI DOUSÆ

Scazontes Trimetris intermixti.

Continuo ab uſu, temporisque longinqui
Edacitate Aurum ANNULOSQUE *conſumi,*
Ipſasque Gemmas; nec pretio eſſe tam carum

Ra-

Rarumve quidquam, quod diurnet in terris;
Vetus querela eſt; cûi fidem ipſa res fecit.
Sed hæc prius fuere; nunc rerum vices
Fors vertit, ex quo Patriæ expenſum ſuam
DACTYLIOTHECAM *ferre comitas cœpit*
GORLÆA; *cujus arte & ingenî primùm*
Virtute factum eſt, ANNULI *ut perennarent.*

IN V. C.

ABRAHAMI GORLÆI,

Affinis ſui

DACTYLIOTHECAM

BALDUINI BERLICOMI

Puri Jambi.

Nihil diütunum eſſe ſub Polo, & minus
Perenne quidpiam poteſt.
Id Orbis univerſa ubique machina,
Id Orbis anguli & plagæ;
Id Oppida, imò Regna, & Imperantiûm
Sepulcra ſeu Cadavera,
Id Æquora, atque Montium ante culmina,
Iisque plura ſat docent.
Et hinc mage obſtupenda, quæ tot his libris
Vetuſta, priſca; at integra
Dat intuenda RARUS AUCTOR; *oppidò*
Vetuſtâ, & integrâ fide.
Et hîc Imagine; at domi inque ſcriniis
Reapſe, veraque exhibet.

 Itâ

Ità ergò quiſquis iſta nota non prius
Stupore percitus vides,
Magis vide, atque noſce rara munera,
GenIque & ingenI decus,
Quibus relucet AUCTOR; *& ſimul ſtupe,*
Notaque Diligentiam
Eò uſque pervenire, ut ipſa TEMPORUM
PERENNITATE *polleat.*

IN EANDEM DACTYLIOTHECAM.

Obticuit Grajis, Latiis muteſcit APOLLO;
Cum Libyaque Aſiam barbarus hoſtis habet.
ROMA *jacet, magni quondam compendia mundi,*
Ad ſe exornandam delitiasque trahens;
Quæque uni ſua cuncta anademata contulit urbi,
Vincitur à victâ barbarie ITALIA.
Sic fallax mutat, vertit, vorat omnia tempus,
Et nil perpetuum ſole ſub eſſe ſinit.
Aſt oritur nova lux BATAVIS, *ubi* DELPHICA *laurus*
Incepit virides ſpargere fronde comas;
Leydaque pro ROMA, *canitur pro* THYBRIDE RHENUS,
Et ſurgit vaſto PHOEBUS *ab* OCEANO.
Mars, Muſæ, PALLAS *ſuprema ad littora regnant,*
Nec fluctus BATAVOS SUADA MEDULLA *timet.*
NEPTUNUS *domitis cœpit miteſcere in undis,*
Quem ſequitur vitreis cœrula Diva choris:
Prælia MARS *docuit, docuerunt carmina* MUSAE.
Dat mentem BATAVIS *Docta* MINERVA *ſuis.*
Haud erro, nec me Phœbi cortina fefellit;

Quæ

Quæ video vera hæc myſtica ſigna docent:
Nam quæcunque diu multo conlecta labore
GORLAEUS *propriis uſibus obtinuit,*
GORLAEUS, *quem tot rerum miracula & artes*
Adjungunt ſummis ingeniis Batavûm,
Publicat, antiquis non inferiora metallis,
Non his, jam notus quos novus Orbis habet.
SARDIUS, *hîc, Jaſpis varius, viridisque* SMARAGDUS,
Et quicquid rarum terra beata tulit.
Hîc quoque Romano ſignandis ANNULUS *uſu*
Rebus, at in faſtu quo placet uſque minor.
Addidit ars pretium, pretium ſuper addidit ætas,
Artificesque Aſiæ quod valuêre manus.
Macte animo GORLAEE *bono, qui talibus auſis*
Non conſumendas has tibi linquis opes:
Invideat quicunque velit, vel ROMULA *tellus*
Frendeat, hæc tota DACTYLIOTHECA *tua eſt.*

A. Buchellius JC.

HVGONIS GROTII
Carmen in Dactyliothecam
V. C.
ABRAHAMI GORLÆI.

ANNULE *Principii nuſquam pereuntis imago,*
Et cui vel finis nulla, vel ipſe tibi:
Annule, qui Cœli ſpecie redeuntis in orbem
Telluris cohibes omniparentis opes:
Annule, qui rigido Lapidem redimite Metoall
Fixa Promethea vincula rupe refers:
Annule, qui tribuis quod jus Natura negavit,
Ingenuosque tuo ſolus honore facis:

 Annule

Annule teſtis opum, quo plebs Romana carere
Cogitur, Anguſtus quem ſibi Clavus habet:
Annule, Legati ſacra quem, quem Judicis æqua,
Quem ſcutata manus Centurionis amat:
Annule, quem donant Reges, quem donat amator,
Quem fovet in tepido dulcis amicæ ſinu:
Annule, cui commiſſa penus, commiſſa ſupellex
Servitii fures non metuêre manus:
Annule, qui miſſæ ſignas arcana tabellæ,
Legitimi ſacrum pignus & arrha thori:
Annule ſecreti vindex, cuſtodia veri,
Qui perhibes pactis, muneribusque fidem:
Annule, cui moriens & villas credit, & agros,
Tutelamque ſuæ prolis, opesque pater:
Annule, qui peſtem, fœdumque arcere venenum
Pectore, qui Philtri crederis eſſe loco:
Annule, qui Magicæ non ferris inutilis arti,
Cùm tua ſideris eſt rota picta notis.
Annule, quo ſolo ſi cedit dextra ſiniſtræ
Fallitur: armillis eſt, puto, juris idem:
Annule, quem minimus digitorum geſſit, & Index:
(Scilicet hîc Achares, hîc Coriannos eras:)
Annule, quem poſcit minimo qui proximus ungui eſt,
Eque tuo digitus nomine nomen habet:
Annule, ſubtili vis ad præcordia venâ
Cujus inexplicitâ traditur ire viâ:
Annule, quem ferro procûdit, & ære vetuſtas:
Optimus, argenti non grave pondus eras:
Annule, ſed caſſum cui nunc vix ſufficit aurum:
Tale tamen priſci læva Dialis habet:
Annule, qui totos minimo comprendere cenſus,
Qui pretium fundi claudere parvus amas:

Annule,

Annule, qui miſtis etiam ſpectare metallis,
Unaque quem totum gemma cavata facit:
Annule, qui Sardâ fulges, qui vinctus Achate,
Quem decet ex Arabum littore vectus Onyx:
Annule Beryllo renitens, viridique Smaragdo,
Cuîque Adamas, & cuî fulvus Jaſpis adeſt:
Annule, qui totos hyberno Sole premebas
Articulos: pretii cuî modus, actus erat:
Annule ſigillum cui mobile dextera mollis
Ventilat, & gemmam vertit in orbe ſuo:
Annule, Pyrgoteles duro quem incidere ferro,
Quemque Dioſcoridæ ſcalpere docta manus:
Annule, cuî ſcalpro quæ ſæpè inciſa figura eſt,
Hæc aliàs cæli munere tuber habet:
Annule, materies in quo ne ſola placeret,
Sæpè Triumphales adjiciuntur avi:
Annule, qui Sphingas, qui turpia corpora ranas,
Sed tamen & magnos dignus habere Deos:
Annule, Cæſareos qui fers in imagine vultus:
(Ah capital Paulo quàm propè crimen eras!)
Annule, qui Gygi Lydorum Sceptra dediſti,
Qui te, Perſeæ caſſidis inſtar habet:
Annule, at Euphratis quem contrà ripa Seleuco
Abſtulit, & regni ſpem dedit eſſe ratam:
Annule, qui Samio jactura negata Tyranno,
Quem miſer, heu, nôllet non periiſſe ſibi:
Annule, Cannenſis quo ſanguinis indice, menſa eſt
Carthago modiis Romula caſtra tribus:
Annule, Proſcriptor Nonî: quo Cæpio Druſum
Odit; & in Syllam ſe tulit ira Marî:
Annule, quem Fatum docuit Demoſthenis, & quem
Annibalis celerem mortis habere viam:

An-

Annule, quem loculo varium qui condidit uno
Romuleâ primus Scaurus in urbe fuit;
Annule, quo Magni laurus ditata, Latinus
Cùm Mithridateas Juppiter hauſit opes:
Annule, quem ſenis diſtinctum à Cæſare thecis,
Marmoreâ Genitrix vidit in æde Venus:
Annule, non unum quem ſacra Palatia ſervans
Marcello acceptum pulcher Apollo refert:
Annule, te quicquid (nam non eſt omnia noſtrum
Dicere) quæ ſequitur charta fuiſſe docet:
Annule, qui quondam gemmis inſignis, & auro,
At nunc GORLAEI *parva papyrus eris:*
Annule, quem gemmis, & quem nec præferat auro,
Quiſquis erit, veterum quem Monimenta juvant:
Annule, priſcorum Vindex redivive dierum,
Hei mihi, cur lucem nox premit atra tuam?
Annule, qui nobis Latium, qui reddis Athenas,
Hei mihi, cur turpi conderis ipſe ſitu?
Annule, Vir magnus prohibet, qui ſorde remotâ
Dat tibi candorem, quem neque gemma dedit:
Annule, ſi carie tamen, & rubigine ſcabrâ
Roderis, antiqui temporis iſta nota eſt.
Annule, ne pudeat: numerat non pondus, at annos
Qui ſapit, & vitium diligit ille tuum.
Annule, quot longos ſenuiſti marcidus annos,
GORLAEO *totidem patre renatus ages.*
Annule, nunc te iterùm Procerum manus atteret, & tu
Nunc iterùm dignum Principe munus eris.
Annule, qui THECAM *poteras habuiſſe ſepulchrum,*
Hæc natalis erit nunc tibi, THECA, *locus.*

IN

IN
DACTYLIOTHECAM
V. C.
ABRAHAMI GORLAEI.

Omnia quæ priſcæ gremio foviſtis ATHENAE,
Auctaque ſub ducibus Martia ROMA *tuis*,
Una domus geſtat BATAVO *ſub ſydere, quæque*
Non fuerant gentis unius, unus habet.
Una domus binas ſuperi complectitur urbes,
Et veteres diti culmine condit opes.
Vidimus (hæredes LATII *gaudete* BATAVI)
Ardua ROMANOS *lumina ferre viros.*
Vidimus immenſi trabeam fulgere QUIRINI,
Vidimus & lituos dux TIBERINE *tuos.*
Vidimus optatas LATIO *fulgere ſecures,*
Aureaque in titulos ſurgere Roſtra ſuos.
Vidimus undantem ſpoliis procedere currum
Dum premit ardentes murice CAESAR *equos.*
Vidimus horrentes immania corda tyrannos,
Sceptraque conſuetas, vincula ferre manus.
Vidimus AEGIDAE *validas &* CECROPIS *arces,*
Quæ volucrem geſtant diva Minerva tuam.
Maximus hic nondum LATIO *ſat notus* JACCHUS,
Qui TRIVIAE *proles myſtica matris erat.*
Ipſe pater magno demiſſum nomen JULO
Obſtupuit tantas SCALIGER *inter opes.*
Ipſe pater vaſtæ miratus munera ROMAE
CAESAREAM *natus* CAESARE *vidit humum.*
Ignea GORLAEI *veteres mens tollit honores,*
Et rapidas fati non ſinit eſſe manus.

Qui toties doctas quoties lubet ambit ATHENAS,
In BATAVIS *maneat cum tamen ille ſuis.*
AUREA *qui regnans*, ARGENTEA, FERREAQUE
unus
Et tria SATURNO *ſæcula major habet.*
JUPITER *exul abi: profugum mutamur in aurum;*
Aurea qui nobis tempora reddat, erit.
Eſſe Jovis poterat genitor, niſi JUPPITER *eſſet,*
Ipſaque cum ferro jungeret æra ſuo;
Inque manus ſeræ jam poſteritatis amore
Relliquias veterum didere geſtit opum,
Queiſque ſolent priſci digitos ornare LATINI,
Non digitos; totas inſtruit ille manus.
ROMA *domus* GORLAEE *tua eſt*: (DATE FAUSTA
QUIRITES
OMINA) MARS *tectis præſidet ipſe tuis.*
Illa triumphorum moles operoſa minaxque
Quam toties ROMAE *conſpicis eſſe, tua eſt.*
Longa dies ROMAM *domuit*, ROMA *omnia*: *ceſſit*
Temporibus victus MARS *pater, illa tibi.*
Quæque latet LATII *pars jam ſibi redditur; ergo*
Ne lateat LATIAM *qui ſibi reddit humum.*
Scilicet ignotos digiti qui monſtrat honores
MONSTRETUR DIGITIS EXTERA TURBA TUIS.

Ludibundus ſcripſi

DANIEL HEINSIUS.

ABRA-

ABRAHAMI GORLAEI

IN

DACTYLIOTHECAM

SUAM

PRÆLOQUIUM,

De Anulorum origine, variis eorum generibus & uſu apud Priſcos.

IPSUM geſtare digitis Anulos non eſſe nuperi inſtituti tàm notum quàm quod notiſſimum; quo vero tempore horum uſus primùm cœperit non æquè conſtare arbitror. C. Plinius Secundus, qui multus eſt in hâc materiâ Anulari & copioſior quam reliqui Scriptores omnes cùm Græci tum Latini, Troianis temporibus poſteriorem eſſe malè putavit, ductus auctoritate Homeri, apud quem nullibi extat Anulorum mentio, utpote qui nodi, non Anuli notâ, in condendâ & obſignandâ pretioſiore ſupellectile priſci illius ævi, homines uſos referat. Fabulæ primordium à rupe Caucaſeâ tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali, quem Poëtæ Jovis irâ, quod ignem è cœlo furtim ſurripuiſſet, Caucaſo adalligatum ferunt; liberatumque poſtremùm ab Hercule Jovis indulgentiâ; hâc tamen lege, uti in memoriam pœnæ vinculorum Anulum geſtaret ferreum, cui ſaxi fragmentum eſſet incluſum: hoc fuiſſe Anulum, hoc Gemmam; hocque exemplo mortales in gratiam & honorem Promethei Anulos primum induiſſe digitis. Fabulæ etiam proximum; quod de Gygis Lydorum Regis Anulo, quo circumacto geſtantem nemo cerneret, fertur, quamvis ejus rei auctorem habeamus Platonem. Nobis *In Politicis.*

 certò

certò conſtat longè ante bellum Trojanum Anulorum uſum fuiſſe celebrem, idque ex Sacrâ Hebræorum Hiſtoria, quæ omnes aliarum gentium Annales antiquitate & Fidei certitudine excedit.
Genes. C. 41. 42. Tradit enim Moyſes Pentateuchi Lib. I. Pharaonem Ægypti Regem poſt ſomnii regii interpretationem à Joſepho factam, Anulum digito ſuo detractum ejuſdem Joſephi manui indidiſſe. *Anno Mundi* cIↃ. cIↃ. cc. LXXX. Et eodem Libro paulò antè refert inter ea quæ pignori ſibi à Judâ dari poſtulabat Thamar, popoſciſſe Anulum. quamvis vox Hebraica, quâ ibi utitur Moyſes, *Genes. 38. 18.* Sigillum non Anulum denotet proprie, idque συνεκδοχικῶς pro Anulo ſigillari. Fuit itaque pervetuſtus hujus geſtaminis uſus, nec facile dixeris quis primùm inſtituerit. Regum & Principum ab initio fuiſſe inſigne veriſimile, deinde gliſcente paullatim luxu ſine diſcrimine ſumptum. Venit autem è Græcia uti plæraque alia ad Romanos, nec à principio adeò frequens: nam præter Numæ & Servii Tullii Regum nullam in Capitolio ſtatuam Anulos habuiſſe auctor eſt Plinius; frequentior uſus non ante Cn: Flavium Annii F. deprehenditur. *A. V. C.* CCCC. XLVIII. P. Sempronio Longo & L. Sulpitio Coss. quo tempore tanta Senatus indignatione in plebem exarſit ob Cn. Flavium Libertino patre genitum & Appii Cæci Scribam, in Aedilem Curulem ac Tribunum Pl. invitis Patribus creatum, ut Anulos ab univerſo eo Ordine abjectos referant Annales. Fuit autem deinceps promiſcuus Anulorum uſus. Victoria demum Pompei Magni de Piratis, Aſia & Ponto ad Anulos gemmaſque mores Romanorum omnino declinavit. Simplices primùm fuêre Anuli, è metallo ſimplici, ferro, ære, argento aut auro; poſtea multis hoc modis vitiavit luxuria, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſuque opimò digitos onerando. Ferreo Anulo utebantur Spartani & Macedones: ferreum à matre dono habuiſſe Seleucum Regem tradit Appianus, quem cùm juxta Euphratem caſu amiſiſſet, iiſdem in locis poſteà, uti matri prædictum erat rerum potitus eſt. Longo quidem tempore ne Senatum quidem Romanum Anulos habuiſſe aureos conſtat, ſiquidem iis tantum, qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent publicè dabantur: neque aliis uti mos fuit, quàm qui ex eâ causâ publicè accepiſſent, idque in publico tantùm; nam intra domos ferreis utebantur & Mario cùm de Jugurtha

gurtha triumpharet Anulús in digito ferreus erat, nec ante tertium Conſulatum aureum ſumpſiſſe traditur. Divo Auguſto Decurias ordinante major pars Judicum in ferreo Anulo erat, ſcribitque Plinius avorum memoriâ multos illuſtres viros Præturâ functos in ferreo conſenuiſſe Anulo, ſicuti Calpurnium, Manilium & L. Fuſſidium, idemque tradit ſua adhuc ætate ſponſæ Anulum ferreum & ſine gemmâ à ſponſo mitti ſolitum. Ex ære argentove quis primò geſtaverit mihi incompertum. Fuiſſe tamen horum apud Veteres frequentem uſum oſtendit ingens eorum qui cottidie eruuntur numerus. Ex integris etiam gemmis neglecto metallo fieri ſolitos, is quem penes me pulcherrimum ex Sarda habeo argumento eſt. Placuit & tandem vario artificum ingenio ipſa metalla miſcere, aurum æri, argento, ferrove (quod etiam ſervitia in ſummâ corruptelâ morum factitarunt) addendo. Habeo & quibus cùm circulus totus ſit aureus, ſigillum tamen eſt gemmæ loco argenteum: & è contra quibus circulus eſt argenteus, ſigillum verò aureum. Sunt & quibus ſigillum ipſum eſt mobile, & hinc inde verſatile. Caſſum Litteratiores appellant Anulum qui ſimplex eſt & ſine gemmâ, quo Flamines Diales apud Romanos uſos eſſe conſtat; ſimilis hodie ex auro ſponſæ datur loco ferrei veterum.

Modus geſtandi Anulos non unus apud antiquos Romanos, ut & nobis hodie: ſiniſtrâ manu gerere admodum erat familiare; hinc Plinius: *Manus & prorſus ſiniſtra maximam auctoritatem conciliavêre auro.* idque ſtudio & datâ operâ in principio autumat factum ab eo, quem inventionis puderet. nam ſi honos ſecurus *Cap.* 22. fuiſſet, dextrâ, ait, erat oſtentandus: & ſi impedimentum in eâ 24. quis obiecerit, longè majus in lævâ prætendi poſſe, quâ ſcutum rapiebatur, niſi fortè avaritiæ hoc datum quis putaverit, quo ſcilicet minus attererentur. Dextrâ etiam geſtari ſolitos illuſtri ex ſacrâ Hiſtoriâ exemplo comprobari poteſt, dico ex Jeremiâ prophetâ apud quem Deus in hanc formam loquitur: *Etiamſi eſſet Conia filius Jojakim regis Judæ ſigillum in manu dexterâ meâ, tamen inde evellam ipſum.* Ex quo loco colligitur Anulos ſignatorios dextræ manui aptari ſolitos, utpote digniori & magis conſpicuæ. Digitis qui minimo proximi ſunt gerere mos fuit primùm, poſteà pollici proximo induere, idque etiam in Deorum

ſimulacris: deinde juvit & minimo dare: qui indici dabatur κορίακυν@, qui minimo ἀκαρὲς dicebatur Græcis. Galliæ Britanniæque in medio dicuntur uſæ, qui ſolus olim apud Romanos excipiebatur, quia infamiæ contumeliâ notatus ab Athenienſibus, κατάπυγ@ dictus ob eandem cauſſam, quaſi cinædus & ſcortum. Cæteri omnes onerabantur, atque etiam privatim articuli minoribus aliis; erant qui tres uni minimo congerebantur: huc ſpectat illud Martialis:

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Jaſpides uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Alii verò huic unum tantum dabant præſertim quo ſignanda notabant. Hinc fuit ut major Anulorum ſigillarium qui hodie reperiuntur pars circumferentiâ (Περιφέρῄαν Græci dicunt) adeò ſit arctâ ſeu anguſtâ ut niſi raro admodum alii quàm minimo digito aptari poſſint. de hoc Anulorum genere Plinius: Conditur, ait, ut res rara, & ad injuriæ uſus indigna velut à Sacrario promitur; & unum in minimo digito habuiſſe pretioſioris eſt in recondito ſupellectilis oſtentatio. Maximinus Cæſ. ut & hoc ὡς πάρεργον addam, pollice erat tam vaſto, ut, referente Julio Capitolino, uxoris dextrocherio uteretur pro Anulo. Illud non omittendum, antiquis perſuaſum fuiſſe in Anulari digito eſſe venam quæ à corde derivata eò pertingeret, hincque digitum illum præ reliquis magis aureâ coronâ condecoratum, gemmaſque additas quo vis earum abdita ſubſidio hujus venulæ in cor deferretur, idque muniret adverſus venena, peſtem aliaſve injurias internas & externas: in quem finem, quâ parte inſeritur Anulo gemma, ab adverſo aurum non habet, quò ſcilicet ipſam cutim contingeret, promptiuſque vires ſuas cordi fundere poſſit, cùm omnis actio, teſte Philoſopho, fiat per contactum, ſed hæc λῆροι λήρων. Conſtat enim ex corporum ſectione & Medicorum ſcriptis, non magis Anulari quam aliis digitis à primo hominis ortu conceſſas venas arteriaſve, quæ à principio ſuo & fonte in ſingulas corporis partes diſtribuuntur ita, ut digitus Anularis in hac partitione peculiari non gaudeat privilegio, aut naturæ indulgentia, ut non neceſſe fuerit ob hanc cauſam eum reliquis præferri digitis. Cauſſa finiſque gerendi Anulos ab initio fuit luxus opumque oſtentatio quo lautioris

Agell. l. 10. Cap. 10.

Macrob. Saturnal. L. 7. Cap. 13.

tioris

tioris fortunæ à tenuioris conditionis hominibus diſtingui ſe cupiebant, & quamvis, uti diximus, primi Anuli rudiores & ex ſimplici metallo extiterint, argumentum tamen erant opum & ſplendidioris fortunæ; poſteà cùm gemmæ addi cæpere, hæc vera luxuriæ æſtimata gloria digito urbis aut fundi geſtare pretium, nec ſcio an in ullo magis peccatum magnitudine pretii, ut non immeritò exclamaverit Plinius; Peſſimum vitæ ſcelus fecit qui Anulum aureum primus induit digitis; proximum huic qui primus ex auro denarium ſignavit, quod & ipſum latet auctore incerto. *Lib. 33 Cap. 1. & 3.* Hiſce initiis cœpit auctoritas in tantum amorem elata ut Polycrati Samio Tyranno felicitatis ſuæ (quam nimiam fatebatur eſſe ipſe) ſatis piamenti in unius Anuli voluntario damno videretur, planeque & abundè ab invidiâ ejus ſe redimi putaret, ſi hoc unum doluiſſet. Aſſiduo ergò gaudio laſſus, profectus navigio in altum Anulum merſit: at illum piſcis eximia magnitudine regi natus in culinam domini rurſus fortunæ inſidiantis manu reddidit. Sardonychem hanc gemmam fuiſſe ait Plinius, oſtenſumque ſi libet credere, adhuc ſuo tempore Romæ in Concordiæ delubro cornu aureo Auguſtæ dono incluſum. Herodotus tamen & alii Smaragdum fuiſſe aſſerunt. Inter Cæpionem & Druſum ex Anulo in auctione venali inimicitiæ cœpêre, unde, pudendum dictu, origo Socialis belli & exitia rerum. Nonii Senatoris Anulus xx mill. Seſtertiûm æſtimatus, nonne patrono ſuo cauſâ proſcriptionis & exitii fuit? Poſtremùm tanta Romanorum in hoc geſtamine veſania fuit, ut Anuli ad anni tempora commutarentur eoque luxus perventum ut leviores æſtate, ponderoſiores hyeme geſtarentur. Quo ſpectat illud Juvenalis.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus aurum. *Sat. 1.*

Proh rerum dominos gentemque togatam! quorum majoribus interdiu & noctu ſcutis ponderoſiſſimiſque armis gravare grave non fuit, iis ſcilicet moleſtum erat ſolidiores æſtate induere Anulos. Elagabalus Princeps ad omnia fœda natus, cottidié novis digitos onerabat Anulis, quoſque pridie geſtarat, poſtridiè rurſus ſumere dedignabatur profligatæ vitæ homo. Sed hæc perditæ luxuriæ veſtigia. Verum enimverò quantumvis ad ornatum luxuſque oſtentationem primùm adinventos libenter fateamur Anu-

los,

los, originemque concedamus pudendam; factum tamen deinceps ut ad honeſtiores uſus tranſlati ſint, ſignandi dico munus: quam etiam unicam inveniendi Anuli cauſſam apud Macrobium aſſignat Attejus Capito. Anulis verò ſignare eſſe antiquiſſimi inſtituti ex plurimis Sacræ Scripturæ locis doceri poſſet, præcipuè ex Geneſeos Cap. 38. 18. ubi vox Hebraica chotam, hoc eſt ſigillum, pro Anulo ſigillari à Moyſe uſurpatur. Et Exodi 28. 11. item Exodi 39. 6. 14. idem Moyſes meminit ſigillorum & gemmarum ſculptarum inter ornamenta ſummi Sacerdotis. Iſabel

3. Reg. 21. 8. præterea Achabi Samariæ Regis uxor literas quibus Naboth injuſtè occidi jubebatur, regio ſigillo obſignaſſe legitur. Romani ab exteris acceptum hunc Anulis ſignandi ritum, tàm avidè amplexi ſunt, ut non ſolùm in Epiſtolis ultrò citroque mittendis, aut rebus pretioſis condendis uterentur, quin etiam cibos & potus hac ratione à rapinâ vindicarent, claveſque etiam ipſas ſignarent. Certè matronam quod loculos, in quibus erant claves cellæ vinariæ, reſignaſſet, à ſuis inediâ mori coactam inter vetera exempla legimus. Hinc & illud Comici: Omnes relevi ſerias; ſcripſitque M. Tullius matrem ſuam lagenas etiam inanes obſignare ſolitam fuiſſe, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe quæ furtim eſſent exſiccatæ. Anulo teſtamenta ſubſignabantur, poterantque omnes teſtes uno anulo id facere, idemque quando non erat arra velocior, ad ſponſiones exiliebat. Ægyptiorum Sacerdotibus nullum animal licebat attingere quod ſacro ſigillo non fuiſſet notatum. In Lemno inſulâ Sacerdos Dianæ Rubricam terram ex antro quodam effoſſam, caprinoque ſanguine ſubactam, capræ imagine in Anulo expreſſa ſignabat, nec aliter vænui exponebatur: unde Lutum hoc σφραγίδα, quaſi dicas ſignaculum, vocarunt Græci. Erant itaque olim, ſicut & hodie, Anuli fidei & voluntatis noſtræ ſymbola & mentis ſecretæ fidi indices: unde Alexander Magnus Anulo Hephæſtionis ori indito ſilentium illi hac ratione imperaſſe legitur, ne ſcilicet, quas illi monſtrarat litteras, alicui vulgaret. In fidei & amoris conjugalis ſignum ſponſus

1. de cultu fœmin. ſponſæ olim mittebat Anulum; quem pronubum appellat Tertullianus; nec, teſte Iſidoro Hiſpalenſi, fœminæ utebantur aliis A-

L. 2. de Etymol. nulis, quàm quos virgini ſponſus miſerat, neque amplius quàm

binos

binos aureos in digitis habere ſolebant. Quod in primis nuptiis, idem ait, Anulus à ſponſo ſponſæ datur, ſit nimirum vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur, unde & quarto Anulus inſeritur digito, ideò quia in eo vena quædam, ut fertur, ſanguinis ad cor uſque perveniat; de qua re quid ſentiendum paullò ante monuimus. Ab hoc ſignandi uſu Græci & Latini Anulum uno conſenſu Symbolum, quem priſci Graii à digitis Δακτύλιον, Latini Vngulum dicebant, nam Anuli nomen à circulari figurâ deſumptum vulgò notum eſt, quod & podici ob eandem cauſſam datum, Anum enim quaſi Anulum vocamus. *L. 2. de Divin offi. L. 15.*

Quæ Anulis inſculpi ſolebant variæ & diverſarum rerum erant effigies, prout cuique libitum foret aut in mentem veniſſet: modò Deorum Dearumve, modò hominum animaliumque brutorum imagines fingendo; modò rei geſtæ Hiſtorias exprimendo. Divorum effigies in Anulis an geſtari conveniat diffuſè apud Macrobium diſputat Attejus Capito, & Plutarchus in Numa. Fuit autem olim ut & hodie duplex exprimendi effigies in quacunque materia modus. Scalptura & Cœlatura; illam γλυπτικὴν vel διαγλυφικὴν, hanc ἀναγλυφικὴν, aut ἀναγλυπτικὴν appellant Græci; illa excavando materiam opus ſuum ſcalpro exercet, inciſaſque exhibet imagines rerum; illa circumcidendo materiam cælo eaſdem prominentes vel protuberantes exprimit; opponunturque ſibi mituò ſcalpere & cælare. Plinius Secundus Nepos Αποσφράγισμα vocat omne id quod ſigillo inciſum. Hac arte apud Græcos ante omnes excelluit Pyrgoteles, à quo ſolo Alexander M. vultum ſuum in gemmis exprimi volebat & Dioſcorides ſigillorum Auguſti ſcalptor nobilis. Ab initio autem quando innocentior erat ætas, non in gemmis ſed in metallo incidebantur aut cælabantur, ſimplici ferro, ære, argento, & auro. Quem Seleucus Babyloniæ & Mediæ poſteà Rex à matre dono habuit, ancoræ effigiem ferro inciſam habuiſſe autor Appianus. Claudii etiam Cæſ. principatu nullas admittebant gemmas in Anulis cælatas ſcalptaſve; at auro ipſo ſignare tunc ſolemne fuit: Et quibus liberti Principis adeundi poteſtatem indulſiſſent, imaginem ejus in Anulo ex auro dabant. Hujus generis habeo in loculis

 meis

meis unum aut alterum quos ſuo loco exprimendos curavi. At hominum vanitas non contenta puro metallo, gemmas addidit, in quibus varias juſſit fingi cælarique imagines, ut alibi ars, alibi materia eſſet in pretio. Nec ullum fuit lapidis pretioſi genus modo aut ſcalpro aut cælo corrumpi poſſet, quod Antiquis illis luxuriæ Magiſtris intactum ſit relictum. Soli Adamanti ob indomitam, ut credebatur, duritiem parcitum; ſed hunc quomodo vitiaret ætas etiam noſtra reperit, primuſque hujus inventi autor celebratur Mediolanenſis quidam Jacobus Treccia, qui Philippi Hiſpaniarum regis gentilitia inſignia Adamanti ſummâ arte inſculpſit. Etſi verò, ut dixi, omnes ferè gemmæ ad uſum ſigillorum inciderentur aut cælarentur, tres tum maxime omnium ad hos uſus aptabantur Achates, Onyx, & Sarda, eò quod ceram non traherent, pulcherrimeque ac ſine labe effigiem exprimerent. Porro quiſque ut libitum erat, & prout cuique in mentem venerat, hoc vel illo Apoſphragiſmate utebatur. Iſmenias Choraules Amymonem Danai Regis filiam Smaragdo inſculptam in Anulo geſtabat. Scipio Aphricanus imaginem patris, Lentulus avi, multi ipſius Epicuri, hoc fauſti ominis generi & nomini ſuo arbitrati fore. Sulla traditione Jugurthæ ſemper ſignavit, unde diſcordiarum origo inter eum & Marium. Lucullus Ptolomæi Regis Ægypti in ſmaragdo effigiem inter rariſſimos habuiſſe dicitur. Pompejus leonem enſem ferentem ſigilli loco habebat. Lacedæmoniorum Rex Arius, teſte Joſepho lib. 12 Cap. 2, Aquilæ ſigillo utebatur draconem unguibus comprehendentis. Intercatienſis ille Hiſpanus, cujus patrem Scipio Æmilianus ex provocatione interfecerat, pugnæ ejus effigie ſignabat, vulgato Stilonis Præconini ſale, quidnam fuiſſe acturum eum, ſi Scipio à patre ejus interemptus eſſet: Mæcenas Ranâ ſignavit. D. Auguſtus inter initia Sphinge, mox, ad evitandum convitium, Alexandri Magni imagine, notavit & ſuâ, quam illi Doſcorides artifex ſimilem admodum expreſſerat. Dicitur Alexander devicto Dario, quas in Europam deſtinabat litteras, ſuâ; quas verò in Aſiam, Darii imagine ſignaſſe. Trebellius Pollio in vita Quieti Macriani ſcribit, in familiâ Macrianorum peculiare fuiſſe cùm fæminis tùm viris, nunquam aut domi aut foris ſine imagine Alexandri Magni eſſe.

Prin-

Principes qui Auguſtum ſequuti ſunt, partim Auguſti ipſius, partim ſuomet vultu ſignarunt, ex parte etiam alia imagine pro libitu; quemadmodum Nero qui Marſyæ effigiem ab Apolline ſuperati & ad arborem excoriati in ſigillo gerebat. & Commodus Amazonis ſigno notabat. Reliqui illuſtres Romani Cæſarum, qui pro tempore rerum potiebantur, vultu ſignabant. Hos Anulos quemadmodum & Numos latrinæ aut lupanari inferre, locove obſcæno admovere, capitale erat ſub Tiberio, quo tempore fuit accuſandi frequens & penè publica rabies, quæ omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Nota eſt Paulli viri Prætorii apud Senecam hiſtoria, qui cum in convivio quodam cœnaret, imaginem Tiberii Anulo gerens exciſâ & eminente gemmâ, accidit ut fortè matulam ſumeret ad lotium reddendum, quod factum ſimul & Macro ex notis illius tempeſtatis veſtigatoribus notavit, at ſervus ilicò patrono ebrio & non ſentienti Anulum detraxit, cumque Macro convivas teſtaretur admotam eſſe imaginem Cæſaris obſcænis, & jam ſubſcriptionem componeret, ipſo etiam reo fatente, oſtendit in manu ſua ſervus Anulum, atque ita calumniatorem fruſtratus eſt. Neroni Principum flagitioſiſſimo Sporus Eunuchus, in ſignum nefandi conjugii more inaudito inter ipſos contracti, dono dedit Anulum, in quo Proſerpinæ raptus cælatus erat. Galbam Imp. majorum ſuorum ſigno ſemper uſum auctor Suetonius, cane nimirum caput ſub prorâ navis inclinante. Effigies vultuſque proprios in Anulis circumferre, plebeis etiam admodum erat familiare. Hinc leno apud Plautum effigiem militis in literis agnoſcens Purus putus eſt ipſus ait novi herus machæroplacides. Hactenus de ſignandi ritu ſeu ſecundario Anulorum uſu: reliquum ut & de aliâ Anulorum prærogativâ loquamur. Anulus aureus apud Romanos Equitum peculiare erat ornamentum, bellicæque virtutis inſigne, diſtinguebatque Equeſtrem ordinem à plebe, ſicuti tunica lati-clavia ab Anulis ſenatum; juſque Anuli aurei habere perinde erat ac Equeſtri dignitate præditum eſſe. Unde milites cùm magnis præmiis à J. Cæſare ſollicitarentur Arimini ut Rubiconem tranſirent, iſque digito arrecto fidem promiſſis daret, putavêre ſibi ſingulis Anulum & cum eo Equeſtrem dignitatem promitti. Plebi enim militibuſ-

que gregariis, ſtante adhuc Republicâ & veteri diſciplinâ, fas non erat aureos geſtare Anulos. Hinc Aſdrubal Centurionum & Tribunorum cadavera cognovit, iiſque à Scipione rogatus jus ſepulturæ conceſſit. Et trimodia illa à Pæno Duce Carthaginem miſſa, aureorum erant anulorum, referente Plutarcho, quos Tribunis, Centurionibus & Equitibus Romanis detractos, ad cladis magnitudinem demonſtrandam in patriam miſit Annibal. Verum quidem eſt multos Equitum & Senatorum, uti paulò antè retulimus, ferreo uſos eſſe Anulo veterum exemplo, & ſanctiorum morum memoriâ: Cæſar Auguſtus cùm jam conclamatus videretur, ſaluti ab Antonio Muſa Medico eſt reſtitutus, ψυχροποσίαις καὶ ψυχρολουσίαις, quo nomine pecuniâ amplâ fuit donatus & ſtatuâ à populo ære collato, Anulo prætereà aureo ornatus, conceſſumque idem juris non modo præſentibus ſed & futuris qui Medicos ſe profiterentur. Tiberii principatus anno nono conſtitutum, ne cui jus eſſet Anuli aurei, niſi cui ingenuo ipſi patrique & avo paterno ſeſtertia CCCC. M. cenſus eſſent, & lege Juliâ Theatrali in XIIII Ordinibus ſedenti. verùm paullò poſt gregatim inſigne id appeti cœptum, ut etiam ſervitute liberati manuque miſſi, ad ornamenta ea paſſim tranſilirent, adeoque promiſcuum id eſſe cœpit, ut apud Claudium Cæſ. in cenſura ejus unus ex Equitibus Flavius Proclus quadringentos ex eâ cauſsâ reos poſtularet. Sept. Severus Imp. Jus Anuli aurei omnibus militibus ſine diſcrimine conceſſit. Poſtremum fuit & Anulorum uſus ad præſtigia & medicinas tranſlatus: Veterum enim ſuperſtitio multum iis in hac re dabat auctoritatis, exiſtimans eos remediis atque incantationibus accommodatos. Huc ſpectant illa apud Ariſtophanem: οὐδὲν προτιμῶ σου, φορῶ γὰρ πριάμενος τὸν δακτύλιον τόνδε παρ' Εὐδάμου δραχμῆς. Fuit hic Eudamus præſtigiator notus, veteris Comœdiæ convitiis proſciſſus. Fiebant autem olim quemadmodum & hodie à quibuſdam malè feriatis hominibus Anuli, certis imaginibus atque Characteribus inſigniti idque ſub certo Zodiaci ſigno & ad certum aſtrorum aſpectum, conjunctionem & quadraturam, ut vocant. Ita confectos qui geſtaverit, perpetuò victorem & inſuperabilem fore, nec venenorum maleficio obnoxium, amabilem & acceptum hinc reddi Principibus & Magnatibus

Appian. de Bellis Punicis.

ἐν Πλούτῳ.

bus, præcipueque hac ratione conciliari optatæ puellæ amorem impudenter aſſerunt. Apollonium Tyanæum Anulos ab Jarcha Gymnoſophiſtar. principe dono datos inſtar numinis habuiſſe ferunt, ita ut hiſce quotidiè per vices variatis, maximorum inde ſecretorum particeps fieret. Sunt & ex Medicis qui plurimum hiſce Anulis ad remedia tribuunt, inter quos Alexander Trallianus non poſtremæ notæ Medicus, qui tradit imaginem Herculis ſupinè jacentis leonemque ſtrangulantis Anulo incluſam digitoque geſtatam peculiare amuletum eſſe ad dolorem Colicum. Apud Ariſtotelem legimus veteres Medicos implicamentis quibuſdam, ſeu, ut ipſe ait, plegmatiis digitos inſerere conſueviſſe, quæ contexta forent veluti acetabula & cirramenta in piſcium quorundam pedibus. Arabes quinetiam videntur plurimum fidei hiſce deliramentis tribuiſſe, unde & hodie adhuc multi reperiuntur characteribus Arabicis notati: Taliſmanos id genus Anulorum patriâ linguâ vocant. Tolerabiliores ſunt qui gemmis ipſis plurimum attribuunt facultatis ad diverſos corporis & animi affectus mulcendos curandoſque, quamvis & hi in extollendis illarum viribus nimii, ne dicam, vani, ſunt; talia hiſce affingendo, quæ per ſomnia ut puto in mentem ipſis venerunt; inter quos Albertus Magnus primum obtinet locum: ut mirer Cardanum, virum & Philoſophum & Medicum doctiſſimum in inveſtigandis cauſſis harum nugarum, bonas horas tam malè locaſſe. Sed tædet amplius per has impietates & deliria decurrere, receptuique canam, dum hoc ſolum non ὡς πάρεργον ἀνάλωμα addidero: deſperatorum hominum ingenia excogitaſſe venena Anulis cludere, quo vitæ tædio affecti quotieſcunque luberet necem ſibi afferre poſſent finemque, uti exiſtimabant, miſeriæ ſuæ imponerent. Demoſthenes ſummus Oratorum Græciæ hoc mortis genere prævenit Archiam Thurinum à Rege inimico immiſſum. & Annibal ſimili occubuit letho, ne infidi Regis ſcelere hoſti traderetur Romano. Cum M. Craſſus duo milia auri pondo è Jovis Capitolini ſolio à Camillo ibidem condita rapuiſſet, æditum cuſtodiæ ejus deprehenſum, fractâ in ore Anuli gemmâ ſtatim expiraſſe, & indicium ita extinctum referunt Scriptores. Elagabalum mortis gratiâ etiam habuiſſe Anulos traditur, quamvis monſtro illi tam fœdata mors non

contigerit. Dactyliothecam porrò ſeu Anulorum Conditorium primus habuit Romæ Scaurus privignus Sullæ diuque nulla alia in urbe fuit, donec Pompejus M. eam quæ Mithridatis Regis fuerat inter dona in Capitolio dicaret multum prælatam Scauri, ut M. Varro aliique ejuſdem ætatis auctores confirmant. Hoc exemplo Cæſar Dictator ſex Dactyliothecas in Æde Veneris Genitricis conſecravit & Marcellus Octavia genitus in Palatinâ Apollinis Æde unam. Hæc ſunt quæ è variis decerpta autoribus huic noſtro operi præmittere libuit, longè vero plura in hanc rem afferri potuiſſe non me fugit. Sed hoc in rem noſtram arbitratus ſufficere, manum de tabula.

ABRAHAMUS GORLÆUS
CANDIDO DAGTYLIOTHECÆ
SUÆ LECTORI.

HACTENUS, Amice Lector, re ipſa magis quam ſermonibus figuras Annulorum, gemmaſque, & quæ in iis conſideratione tua digna videbantur, exhibuimus tibi: in quibus fortaſſe tam omnibus nos ſatisfeciſſe certum eſt, quam nondum ſatisfeciſſe nobis. Ad alios enim quod attinet, aliquid neceſſe eſt quivis hac in parte tribuat nobis, cum nulli poſsit amplius. Nec enim metuendum fuit mihi ne quis hoc argumentum aut præoccuparet, aut ante nos invaderet. Ipſi vero quod ne ita quidem ſatisfecerimus nobis, ingenuitatis noſtræ, & candoris eſt, quo etiam fortaſſe meremur tuum: cum tantum ad ſummam operis totius perfectionem deeſſe putemus, quantum ſoli nos, ex iis quæ apud nos latent, judicare poſſumus. multa enim quæ luce donari merebantur, alii vel tomo vel tempori reſervavimus. Quod ipſum tamen nequaquam vitio meo factum, qui prodigus potius in promovendis literarum ſtudiis, quam parcus tenaxque eſſe ſoleo, ut omnibus probe innotuit, quibus aut ego aut mea. Sed enimvero partim penuriâ ſculptorum, partim aliis de cauſis, ut & ſupra in Epiſtola editioni huic præfixa monui, quid daturus ſim aliquando verius, quam quid nunc dederim oſtendere libuit. Cujus qui-

quidem culpæ idem ego periculum omne depoſco; niſi abunde quicquid prætermiſſum eſt a me ſuppleri poſſit. Demonax glorianti cuidam ejuſdem ſe artis inventorem πρῶτον ϗ μόνον eſſe; acute reſpondebat, εἰ μὲν πρῶτος, οὐ μόνος· εἰ δὲ μόνος, οὐ πρῶτος. Nos vero ne hoc quidem, quod plerique in maxima laudis parte ponunt ſufficere nobis arbitramur, ſi primi hæc tractaſſe dicamur, niſi etiam ſecundi ſimus. Non quod aliis quicquam præreptum hac in re velimus: aut cuiquam eadem felicius tractandi viam intercludamus: Sed ut æquum lectorem non modo habeamus; verum etiam ſi fieri poſſit demereamur. Cæterum cum illud præſtare, quod a nobis ipſi exigimus, ejus ſit verius qui in umbratica rerum contemplatione, & deſidie literarum torpeſcit, quam qui publicis quotidie diſtringitur muneribus; aliis relinquemus quod optari poſſit; nobis quod ad nominis noſtri exiſtimationem, publicamque utilitatem ſufficiet reſervabimus. Abunde autem non tibi modo ſed & nobis ſatisfactum putabimus, ſi libro ſequenti, ea quæ vel hic deſideraveris tu, vel nos ad pleniorem porro operis conſummationem è ταμείῳ noſtro ſuppeditare poſſumus exhibuerimus. Ibi namque non antiquitates modo cum hiſtoria noſtras, numiſmata cum Anulis, Annulos cum gemmis, ſed & ſingula inter ſe diligentiſſime conferemus. Cum enim nudæ rerum harum conſiderationes per ſe, vel nihil quibuſdam, vel parum ad pleniorem autorum utriuſque linguæ intellectum conferre videantur, operam dabimus ut ex hac duarum rerum, nummorum Annulorumque, diligenti comparatione tertium quid naſcatur HISTORIARUM LUX plena. Cum autem quod in Annulis a nobis præſtitum eſt, primam nobis numiſmatum editionem vindicare non poſſumus, quod proximum tamen eſt præſtabimus, & in ἀνεκδότοις tantum noſtra verſabitur induſtria. Porrò cum artes omnes inter ſe diſciplinæque tanquam Homerica quadam catena cohæreant, fatum hoc peculiare Antiquariorum eſt, ut uni ſcientiæ prodeſſe non poſſint, quin ad aliam quamvis tantundem lucis accedat. Non dicam hic quantum ſæpenumero Dio, Plutarchus, Appianus, Polybius, Livius, & qui in parte Liviani operis admirandus eſt, magnus ille dicendi magiſter Halicarnaſſenſis Dionyſius, uno, non raro, ad locum quenuis obſcuriſſimum numiſmate adhibito illuſtrari poſſit. ſed vel in uno Tranquillo, ne longius recedamus, quantum ad accuratam Hiſtoriæ Romanæ cognitionem hæc noſtra κειμήλια conferant; demonſtrari poſſe con-

confido. Et tamen hoc ſi a nobis tentaretur, magni tantummodo operis præludium, & ſolidioris ſtudii ſpecimen futurum eſſet. Nec enim in duodecim Cæſarum illorum ἱστορίαν opes noſtras quæ ad Romanarum antiquitatum ſcientiam ſpectant, niſi mire prodigi effundere poſſemus. Annulorum porro tam ferreorum, æneorum, argenteorum, quam aureorum, qui in hac Dactyliotheca noſtra, aut verius Dactyliothecæ noſtræ parte priori repræſentantur, numerus ad centum ſexaginta ſex excurrit. Gemmæ vero ſunt centum quadraginta octo, quæ omnes numeris ſuis ſeorſim diſtinctæ ſunt. Unum tamen eſt, de quo monendum te maxime putavi, a via nimirum quam in ipſo operis exordio ingreſſi ſumus, non deflexiſſe nos, præterquam in expoſitione illa, quam ſingulis Annulis ſubjunxeramus. eam nos in poſtremis aliquot circa finem paginis, cum ſatis ſit præjuiſſe, lectori harum rerum perito per ſe expendendam reliquimus. Quem valere jubemus: & noſtra æqui bonique conſulere optamus..

DANIEL HEINSIUS

ſub nomine autoris.

EIDEM.

HACTENUS in digito, Lector ſtudioſe, moramur,
Et digitus tantum ſcribere juſſit opus.
Vindicat hunc totum, pars corporis illa, laborem:
Nec ſatis eſt: poſthæc plurima, plura latent.
Annule te, ferrumque tuum teſtabor & aurum,
Gemmaque, Romanæ quam tenuêre manus,
Non ego poſſeſſas educam in lumina merces,
Alterius nunquam munere dives ero.
Annule noſter amor, ſed jam non Annule noſter,
In manibus cunctis, Annule noſter, eris.
Annule te primas in vitæ miſimus auras.
Tu domino reddas, quod dedit ille tibi.
Jam quoque cunctorum quod munus es, Annule, noſtrum eſt.
Hoc etiam, noſtro munere, munus habes.
Annule, te magno dominus ſibi vindicat ære,
Sed tamen ille ſuas omnibus emit opes.
Sint aliis privata: domus res publica noſtra eſt.
Difficiles, certè, non habet illa fores.
Illa patet Muſis communibus, illa Minervæ:
Divitias cunctis poſſidet illa ſuas.
Hoc igitur noſter quod non eris, Annule, noſtrum eſt,
Quodque meus poſthac non potes eſſe, meum eſt.

FINIS.

PERILLUSTRI VIRO

D. ANTONIO HEINSIO

PRIMARIO HOLLANDIÆ MINISTRO,

SIGILLI MAGNI CUSTODI, &c. &c.

Felicitatem & obſervantiam m.

JACOBUS GRONOVIUS.

Annulos hos & varios in gemmis ſcalpturarum typos ante ſæculum ex eadem urbe, quæ Te, Vir Illu-

verterent mirabilia ſupplementa ex his ipſis ſcalpturis ad eruditionem, ſi non vere conſummandam, utique multis partibus augendam trahi. Fuerunt enim infinita in uſu apud Græcos ſimul & Romanos, quorum nulla oportuna mentio in hiſtoricis voluminibus vel occurrere potuit ob varias cauſas, vel non viſa eſt auctoribus digna quæ haberetur ampliter: quum tamen hortante & exigente etiam occaſione poëtæ & alii compellerentur ea obſcurè tangere, poſteris omnino non comprehendenda, niſi auxilium ex hoc genere & hac vetuſtatis parte arceſſatur? Unde ego ſimulatque in ipſa pue-

ritia ad hunc ipſum librum delatus fui, cum immenſa lætitia ſolitus fui percenſere, ita ut nunquam ab eo diſceſſerim ad hanc uſque ætatem. Quin potius increvit cupido hujus contemplationis tanto ferventius, quanto magis paulatim intelligebam, veteres, quorum admiratione captus vivo, moroſiores fuiſſe in his deliciis, teſtante vel uno Æliano Tarentinorum etiam viliſſimos & tenuiſſimos id curaviſſe, ut haberent ſigilla non minus decem minis æſtimanda, præcipue ſcilicet ob nobilitatem artis in gemmæ nota. Sed & is ipſe ſummæ elegantiæ ſcriptor quum fateatur ſe non obiter nec de-

functorie ſolitum ſpectare ſtatuas & imagines πλαςικὰς; quidni in hac miſeranda vetuſtarum rerum laceratione capi me paterer uſurpatione eorum, quæ reſidua manſerunt, quum tam egregia quotidie adjumenta inde mihi eaſdem Camœnas amanti venire deprehenderem? Quidni celebrarem eos, quorum ope ac bonitate ab interitu ea fuerunt ante me vindicata? in quibus vel maxime numerari meretur hic ipſe Gorlæus, cui, ut ſe ipſe vocat, Antverpiano per iſtos annos videntur Batavi Delphi, ut etiam ipſe appellat, ſeceſſum commodum præbuiſſe ad hæc ſic digerenda & his chartis danda, ut ita loquar, numina. Hæc antehac

hac muta & ſæpe particulatim viris doctis declarata tandem interpretatione integra illuſtrari & qua fieri poterat acceſſione locupletari quum in hoc oppido deſideraretur, nequivi me ſubducere, quin ad utrumque exuerer, & prout licuit, fortunante Deo perfeci.

Quam operam non tantum Tibi innoteſcere, ſed etiam in perinclito nomine Tuo apparere & exire deſidero, vel communi cauſa ſtimulante. Te enim vigilante & in his aſperrimis temporibus prębente conſilia non huic chartæ, ſed annalibus dicenda, contingit nobis hæc honeſti otii tranquillitas; ut ſi

quo proventu in publicum commodo id exornari accidat, plurima ejus pars ad Tuam prudentiam laudemque debeat redundare. Sed etiam quum magni ſigilli patriæ cuſtodiam optime penes Te locatum iri decrerint Supremi Ordines; merito hæc ſigilla, multorum fidei olim conſcia & arcanis ceris impoſita, etiam nonniſi Te ſciente a me diſcedere & per cives noſtros licite ſervari ac circumire decebat; præſertim quum ejus eſſent generis, ut Tibi jucunda quoque eſſe poſſent; ſic in republica verſari ſolito, ut ab curis Tuis liberales doctrinas nequaquam excludas. Quarum

omnis

omnis varietas quum delectare poſſit; tum in his ſpectaculum reſidet tanto perfectioris amœnitatis, quod conſtet antiquos ſua ſigilla exquiſitis quibuſdam & placitis inventis exornaſſe, & aut ipſorum numinum heroumque, aut magnorum Regum, amicorumve vultibus, aut hiſtoriæ memorandæ nota uſos fuiſſe. Certe nulla in his fallacia, nec opus eſt abominatione falſitatis, qua ſæpe pravi principes & aularum corruptores per adulationem fucarunt ipſos nummos, qui cum tanto furore nunc contrectantur. Tacitæ iſtæ & ſimplices gemmæ quantopere illis præferendæ, etiam inde amabiles, quod & ſi qui non ament nimis ſeria, ipſi lepores & inciſa ludicra habeant ſane, quo eruditum ſpecta-

 to-

torem paſcant. Sed ego ante omnia id ſpectavi, ut hujus libri delegatio mihi inſerviret ad proximam quandam reverentię & obſequii mei declarationem. Ad hanc enim quum multa vincula & immenſa Tua comitas in admittendo diu me adſtrinxerint, hæc occaſio induxit, ut Te ad conſcientiam laboris mei invitatum ſic venerarer. Huic itaque uni ſi teſtatione iſta ſatisfactum eſſe judicabis, & mihi & vermiculatis his antiquæ elegantiæ veſtigiis gratulabor. Faxit Deus, ut adjuvante Tua ſapientia, oportunitatum caute provida, in his virulentis ac letiferis totius Europæ vulneribus ac calamitatibus, patriam ſinceram & in univerſas partes confirmatam manſiſſe omnis ætas agneſcat. Lugduni a.d. IV Nonas Mart. CIƆ IƆ CXCV.

JACOBUS GRONOVIUS

LECTORI ET SPECTATORI S. P.

AGnoſcis, mi lector, antiqui voluminis novam magnitudinem. Ad quam ut illud extendi curarem, fecit longa oblectatio & plurima commoditas, quam mihi votiſque meis contulit. Nec minori ſtimulo fuit ipſe ævi noſtri genius, me quoque compellens velut inlicium viſere & priſcarum manuum lineas ſpectare. Sed & præcipitem me egit ipſa regio, ubi primum proceſſit. In qua quum me quoque Deus poſuerit, inſitus erga eam amor impulit, hoc, quod certe ornamento illi fuiſſe, quum ederetur anno primo hujus ſæculi, judicaverunt maximi popularium, pro egregio habere: præſertim quum iſtud tempus eſſet, quo pretium & dignitas hujus ex antiquitate partis non ita vulgo innotuiſſent, nec tantas impenſas contemnere quiſquam ſuſtineret, nedum ut quis putaret ea poſſe exercere ſumptum ſuum. Tunc Abrahamum hunc Gorlæum divinitus excitavit melior doctrinæ ac magnanimi propoſiti indoles, ut egregiam patrimonii partem in hac ſupellectile collocans efficeret, quò ne in his quidem

rebus ad liberalem eruditionem pertinentibus patria ulli genti, nec vel Italiæ ipſi cederet.

Sicut autem hæc adminiſtratio propter morbos quam longa notiſſimas mihi gemmas illas fecit; ſic quoque ipſum Gorlæum cognoſcere familiarius cupivi, & quæ cauſa illum induxiſſet patriam Batavia mutare; præſertim quum diſſona de eo memorarentur, ſic ut ibi quoque mori & ſepeliri novem annis poſt voluerit. Ipſe in præfatione poſtrema videtur ſe deſcribere eum, qui publicis quotidie diſtringeretur muneribus; & qualia iſta fuerint reſciſcere non magis potui, quam id ipſum quod modo dixi. Etiam à primis adoleſcentiæ annis delectatum ſe fuiſſe liberalibus ſtudiis, & hinc rerum præſtantium indagine ætatem omnem occupatam habuiſſe in priore præfatione refert. Itaque & condiſcipulum habuiſſe Andream Schottum ſcribit Franc. Sweertius etiam ipſe familiaris Gorlæo. At quantopere hinc deviat, quantam famæ invidiam concitat Pet. Gaſſendus, non dubitans palam Vitæ Peireſcianæ inſerere, Gorlæum Latinæ linguæ non ſtuduiſſe, *ſed tamen & tantum intellexiſſe libros omnes circa rem nummariam Latine conſcriptos? Quid quod etiam Clariſſimus olim in hac Academia Doctor Pet. Cunæus præloquium, quod ſub nomine Abrah. Gorlæi præfixum eſt Dactyliothecæ, ſuſtinuerit Ælio Everhardo Vorſtio vindicare in laudatione hujus funebri? Sed & in furiam incidit Joh. Kirchmannus cap. 3. de Annulis palam allegans Ælii Everhardi Vorſtii commentariolum de Annulorum origine, quem Abrahamus Gorlæus Dactyliothecæ ſuæ præfixerit. Sic illis ſcribe-*

re &

re & exiſtimare licet; mihi videtur tenerior inter Gorlæum & Vorſtium fuiſſe conjunctio, ſatis ab hoc expreſſa per epiſtolam editam ad ipſum Gorlæum, quàm ut tale quid ab noſtro admitteretur. Quid quod quum ſic iſti flagellent Gorlæum, Chifletius tamen ad Abraxica pag. 127 in iſto præloquio vituperans, quod dicatur Alexander Trallianus tradidiſſe imaginem Herculis ſupine jacentis leonemque ſtrangulantis annulo incluſam, prodeſſe ad morbos quoſdam, Gorlæi, non Vorſtii nomine abutitur? Miror apud hos adeo parum favoris Gorlæo reſiduum fuiſſe, ut ſive auctor fuerit, ſeu ſecus, & ſive ubi laudabile creditur præloquium, ſive ubi vitioſum, tamen ab his ille vapulet. Nec nobis cenſere in hac cauſa licet, quibus tantummodo hæc ſcalpturarum congeries cordi fuit, partim ut augerentur, partim ut ſingulæ explanarentur. Quod poſtremum meo Marte conatus ſum facere, & feciſſem intra comperendinationem, ſi imbecillitas & graviſſimæ vexationes non interpellaſſent. Prius dum ambit hic liber etiam perfecte exſequi, grate quidem adſcivit, quæ ab benignitate aliorum, qui vita & egregio labore jam defuncti quieſcunt, poterat nanciſci: interim tamen ut ſimul aliquid novi fructus efferret, vivis quoque, quos ſoſpitet Deus, ſe applicare ſtuduit; quod ſic ei ceſſit, ut apud eos non leve æs alienum contraxerit, in quibus Reverendos & Clariſſimos humanitatis antiſtites Jo. Georgium Grævium, & Joan. Smetium; & florentiſſimæ ſpei juvenem Joan. Koolium. Sed præcipue meminiſti Tu, Politiſſime & Sapientiſſime Petre Deinote, quantum ſit, quod illi queas imputare, qui ingentem illam

 gazam

gazam tuam manibus noſtris committi & in alienam urbem ad tempus transferri paſſus es, ut de ſingulis, prout inſpexiſſemus, arbitrari daretur. Etſi aliunde jam vobis ipſi celebritatem eximiam circum dederitis, tamen permittite, ut hic liber, dum exſtabit, Viri Maximi, inter buccinas veſtræ in ſtudia comitatis circumeat; qualem certe futurum credite ut bonæ fidei debitorem, qui propterea, mi Lector, in principio te admonet tui in hos officii. Ego quemadmodum jactari in hoc incerto me permiſerim, & tentaverim ſingulis ſua nomina reddere, res ipſa indicabit. Plura vellem, ſed infirmitas negat. Itaque hoc, qualecunque eſt, tu fruere & vale melius, quàm mihi per hos quinque menſes contigit.

A. v. Zylvelt fec.

IACOBUS GRONOVIUS I. FR. F.

Græcæ Linguæ, Hiſtoriarum et Eloquentiæ Profeſſor.

Hanc tibi, ut exhilaras, frontem Gronovius alter
Dædaleo Sculptam, Pallas, in ære DICO.

Tu mentem ratione polis, tu ſæcula pandis;
Sic facis, ut mirer facta manumque Dei.

P. v. Aa Exc: C. P.

FOLDOUT BLANK

JACOBI GRONOVII
EXPLICATIO FIGURARUM IN ANNULIS ABRAHAMI GORLAEI ET ALIORUM.

Num. I. LUpa gemellorum altrix, quam ſuas quoque arculas ornare ſcribit Laur. Pignorius in Symbolicis Epiſtolis.

2 Genium eſſe credidit Gorlæus, utque ipſe voluit hanc ſuam appellationem æri incidi, meum non fuit eam delere & omittere. Neque tamen ex vero conjecit; quum dubitari nequeat, quin ſit Bonus Eventus, dextra pateram, ſiniſtra ſpicas tenens, ex deſcriptione notiſſima Plinii lib. XXXIV cap. 8; & notavit eruditus interpres Croyanorum numiſmatum tab. XXVIII num. 16, ubi totus eſt nudus.

3 Julii Cæſaris caput laureatum cum ſtella in vertice, ut jam conſecratum innuat.

4 Hercules, ut ab Gorlæo additur, Romanus, & ſequitur interpres theſauri ex theſauro Palatino ſelecti pag. 89, quum inter Commodi nummos talis occurrat. Fatendum tamen eſt illic faciem ejus eſſe magis oblongam, quum hîc exhibeatur teres, plane ut in nummis Lepidi inter Croyanos tab. VI.

5 Gorlæus interpretatur Fidem publicam, ut videtur, ex nummo Domitiani, quem allegaverat in ejus expoſitione Anton. Auguſtinus dialog. 11, in cuius libri editione Italica exhibetùr tab. 17; eumque vidi in locupletiſſimo noſtri orbis gazophylacio, quod collegit Vir Politiſſimus mihique quod lætor amiciſſimus Jacobus de Wilde, quum ipſe poſſideam Hadriani nummum, ab cuius altera parte ſignatur hæc FIDES PUBLICA, ignotum antiquariis, quantum video. Quin etiam exhibetur hæc ipſa figura in nummo Aurelii Cæſaris inter Croyanos tab. XLV num. 18, ubi doctiſſimus interpres male judicavit eſſe Pietatem cum caniſtro, deceptus nummo Pii tab. XLI num. 7, ubi fæmina elevat quidem talem calathum, ſed ſtat ante aram, & dextra prehendit animalculum, ut ſint hæc diverſa. Deſcribit autem Auguſtinus hoc modo: *Femina ſtantis habitu ſpicas binas altera geſtans, altera lancem fructibus plenam aut aviculis, aut cordibus, vel denique, ut exiſtimo, cymbam ſpicis refertam, ſive ea tritici menſura eſt.* Quæ quum non ſatis eſſent ad mentem explanatoris Theſauri ex theſauro Palatino pag. 48, addit ille publicam hanc fidem dici reſpectu perſonarum vel rerum; & publicæ fidei eſſe proprium, ut regionum ea felicitatem contineat: hanc rationem eſſe, cur non ſpicas tantum teneat, ſed & calathum præferat variis frugum generibus repletum. Verum ſpicæ, verum talis calathus poteſt eſſe & perſonarum privatarum, & rerum æque privatarum privatorumque agrorum. Sunt alii, qui ne

ne nihil dicant, credunt indicari ſic ea, quæ Fidei publicæ in ſacrificio fuerint oblata. Mihi hæc fides publica non alia videtur, quam cui contrarium dicit Quintilianus in nobili iſta declamatione XII. *Non enim vulgaris illa labes frumenti fuit, nec qualis aliis ab agricolis accuſari ſolet perfidia terrarum & ingratæ meſſis irritus labor*. Et de qua Plinius lib. II Hiſt. Nat. c. 63 terram laudans: *Quam bona fide creditum fœnus reddit*. Habeo ante oculos meos nummum Antonini Caracallæ, de quo ſcribitur in Occone [FIDES PUBLICA, figura ſtolata ſtans, ſiniſtra pateram cum frugibus, dextra ſpicam cum papavere, ut Boni Eventus] Sic ediderat Occo: poſtremas voces omiſit nupera editio Mediolanenſis, & *ſpicam* mutavit in *ſpicas*, perinde ut Domitiani nummo ſub conſulatu XII [FIDEI PUBLICÆ S. C. Figura ſtolata, ſiniſtra pateram, dextra ſpicas cum papavere.] Omnino papaver in eo nullum, nec ſpicæ plures quam duæ, plane ut ſcribitur de Domitiani nummo ſub conſulatu XVI [FIDEI PUBLICÆ S. C. Figura ſtans, dextra duas ſpicas, ſiniſtra pateram cum frugibus.] Sed mihi nummum Caracallæ acrius inſpicienti patet manifeſte caput Cybeles, extantibus tribus turribus cum una crinium ſpira dependente ad latus, plane ſicut illa ipſa profertur in ipſo iſto theſauro; ut res dubia jam non ſit: quum tamen muliebre ad communem morem caput exſtet in nummo Hadriani. Eſt eadem in gemmis num. 83.

6 Abundantiæ typum tradidit Gorlæus. Sed Ab-

undantia exprimitur prorſus in nummo Trajani Croyan. XXXIV 6, & alio habitu n. effundentis nummos ex cornu Copiæ LV, 22. LVII, 10. LIX, 4. LXIV, 2. Itaque Felicitatis publicæ typum dixiſſe præſtat ex Severi nummo Croyan. LIII, 8.

7 Victoriam terra marique partam judicabat eſſe Gorlæus, cujus ſane perobſcurum ænigma eſt. Procedit id forſan in ſpica; quam ad rem papaver? Non ſi Victoria tenet aliquid, quod alicubi exoritur, ideo partam illic Victoriam ſignificare poteſt. Clarius exprimetur Victoria populi Rom. vel Auguſti, terris & mari felicitatem procurans, quæ maris ac terræ felicitas per clavum & ſpicas iterum denotatur num. 42.

8 Romæ typus ex obſervatione Gorlæi. Et poteſt credi. Sed & Mars Victor ſimiliter exhiberi poterat.

9 Ales Jovis, ut explanat ipſe Gorlæus. Sed certe aliud fingi ejus roſtrum debebat, quod in hac ave nihil diſcrepat ab ſequenti, quum in aquila id ſit magis pandum, ut vides num. 91, 135, 157, 174.

10 Corvus Apollinis, ut vidit Gorlæus; nunc adſeſſor tripodis, quum gemm. num. 111 inſideat tripodi, in Vitellii nummo ſub cortina ponatur pedi tripodis inſidens.

11 Taurus umbram quærens ſub arbore.

12 Victoria Pacifera, quam Gorlæi interpretationem adiuvat Triſtanus in Addendis ad tomum primum Commentariorum, ubi ſunt plura ſimilia.

13 Æquitas, ut commode Gorlæus, ſed quæ ſæpius in nummis Croyanis haſtam levat. Hæc cornu copiæ ſuſtinens petita ex nummis Catinenſium, dein Romanos nummos ornare incepit ſub Pertinace, unde ſequuti poſteriores. Et utique in nummo Peſcennii, quem nuper ad lætitiam temporis noſtri fovendam Vir Eximius Jacobus de Wilde publicavit, eſt hæc ipſa prorſus, cum literis JUSTITIA AUGUSTI. Immo in nummo Honorii, quem ſervat Genaveva Pariſina, hic ipſe typus exprimitur cum literis EXAGIUM SOLID. ubi notant ſatis aliena.

14 Mu. Scævola, ut videtur, ab fanaticis creditus ad certas vires valere, ſi ſub inſigni aſtrorum poſitu fuiſſet ſcalptus.

15 Spes, florem ſuum oſtentans & meſſem in herba.

16 Victoriæ maritimæ, ſeu verius, maris domiti & imperio ſubjecti typus. Equus marinus aliquoties infra in gemmis.

17 Mars Gradivus, ut ſæpe in nummis.

18 Teſtatur loco citato Pignorius ornari quoque arculas ſuas flore, cui papilio inſidet. An hanc ipſam gemmam innuat, viderit. Hæc certe eſt apes flori inſidens ad colligendum mel, unde forſan thymo, ut Horatiana 4 od. 2

19 Corvus Apollinis iterum indicatur ab Gorlæo. Sed vere eſt cornix prædicens ab ilice, ut explicuit Virgilius.

20 Tropeum.

21 Capræ inequitans Cupido cum cratere ardente;

niſi forſan hîc eſt loco aræ, quò eam compellit ſacrificaturus Baccho. An Juventatis typus exhibetur per laſciviam animalis & vectoris ac ardorem flammæ, ut in Aurelii nummo, ubi non patera ſeu ſcypho aromata altaris foco imponuntur, ut conſideravit Ant. Auguſtinus, ſed adſtat lychnucho ardenti.

22 Commodi opinor caput juvenile.

23 Felicitatem publicam ita Senatus ſub Voluſiano exhibuit, ut mulier columnæ nixa teneret caduceum & haſtam puram. Sed quum hæc ſit ferrata, opinor notari duo tempora, belli paciſque, bene firmata, aut haſtæ ſimul & caducei oblationem, ut pax eligatur vel bellum.

24 Spes florem ſuum oſtentans, de qua notarunt multa viri docti ad nummum Claudii cum literis SPES AUGUSTA.

25 Neptunus in tridente, ſed ἐνοσίχθων, unde per pedem orbi terrarum impoſitum declarat ſe ejus dominum.

26 Leda cum ſuo Jove cygno ludens, quæ frequens in gemmis.

27 Minerva Victrix, prout exhibetur in nummo Caracallæ, atque etiam deſcribitur; nec diſſimilis eſt nummus Græcus Temnitarum ſub Alexandro Severo. Utrumque vulgavit Triſtanus. Sed & ſub eodem habitu eam ſignarunt Corinthii in gratiam Juliæ Domnæ apud Vaillantium tom. II de Coloniis. Sed jam ante placuit ea vehementer Lyſimacho, in cujus nummis ſedens fingitur; verum ut hoc loco ſtans in nummis Ariarathis & Ariobarzanis.

28 Mars.

29 Genius dicam, an Pantheos, radiis Solis & ſimili malarum lævitate, vaſe Sarapidis, cornu Ammonis, ſerpente Æſculapii, an Mercurii? exornatus, quem ideo miror inter Abraxica non retuliſſe Chifletium, quum barbatum ex Gorlæi num. 193 inter ea poſuerit; qui non magis illic locum tuetur, quam Antonini Pii nummus plane iiſdem illis inſtructus, Croyan. XL, 22, aut alter quem ſub Genio P. R. viri docti ad Gallienum referunt.

30 Puella ſervitio amoris liberata, ideoque & pileum velut vindictæ impoſitum levans; & Satyriſcum ſuum erigere jubens tropeum.

31 Cupido ſollicitans Pana ad modulationem cicutæ.

32 Serpentinum numen, in quo Abraxam conſideravit Chifletius in tab. XV, cuius nequit admodum vera eſſe fides, quum & in nummis Jopolitarum ac Dionyſopolitarum toties hic ſerpens ita conſpiciatur, & ab Cois ſub Caligula etiam nummum eo inſignitum referat Cl. Patinus.

33 Porcus inter duos lychnuchos ardentes, ut ſolenne fuiſſe in ſacris notarunt eruditi ad illuſtrationem nummi Antoniæ*, in quo celebratur SACERDOS DIVI AUGUSTI, ad cuius notam illic excuſæ ſunt duæ faces. An proprie hæc hoſtia mactata fuit Cereri in ſacro nocturno, ut notum?

34 Nympha marina velo circumdata & junctis uni-

cor-

cornibus vecta aurigante Cupidine, ut videtur, ipſa Galatea amoris ergo ad Acin ſuum feſtinans.

35 Ovis, ſive Romana, quæ Idibus Jovi ſolebat cadere; ſive Græca, certe formoſiſſima, ut ipſam Theophanen ſcires, quam a Neptuno commutatam in ovem formoſiſſimam ſcribit Higinus fab. 188. Sed & nonnulli ex Antinoi nummis hanc ipſam præferunt.

36 Aquila divaricata, qualis in Trebelliani nummo exprimitur conſecrationem denotans. Nuper quoque ea ipſa in hoc conſpicuo geſtu edita eſt in nummo Coloniæ primæ provinciæ Syriæ Palæſtinæ ſub Trajano Decio, quam ſimili modo interpreter, non de Symbolo Romani imperii.

37 Procris & Cephalus; ut colligo ex jaculo, quod hic tenet, ac cane accurrente; quum illa explanare videatur fidem jaculi ferientis omnia, in quæ fuerit emiſſum.

38 Spes iterum, ut ann. 24.

39 Salutis vultus cum inſigni ſuo ſerpentino.

40 Columna cum inſtante imaguncula haſtata, & pinus arbor unum fructum efferens, plane ut in Admirandis Romanarum Antiquitatum tab. 56; in medio adſtat adoleſcens veſtem retro utraque manu diducens ramumque una tenens; quaſi indicaret expiationem alicuius, & forſan ipſius Liberi Patris.

41 Magicum quid innuunt literæ ETEPOV.

42 Spicæ duæ, inter quas gubernaculum navis, maris

maris ac terræ uſum & feſtivitatem denotantes: an frumentum ex provincia transmarina advectum?

43 Manus duæ implexæ, unde duæ ſpicæ cum ramo oleæ procedunt, teſtantes concordiam originem felicis annonæ ac lætitiæ. Sic enim potius contemplamur, quam concordiæ, pacis & abundantiæ typum cum editore.

44 Victoria clypeo ad palmam ſuſpenſo titulum inſcribens, plane ut in nummo Auguſti Græco apud Anton. Auguſtinum, & altero Latino Veſpaſiani, niſi quod in illis ſtet, in hoc ſedeat.

45 Inter Abraxica numerat Chifletius & leonem & ſcorpionem; ut mirer hanc gemmam illis non inſertam, ubi jungitur uterque: tanto magis quod opiner eandem ſententiam hujus gemmæ eſſe, quæ eſt apud Leonard. Auguſtinum num. 173, etſi is coronet quoque leonem, interpretans ſigna cœleſtia. Sed verius exiſtimem Africæ typum, quæ in nummis Hadriani nunc leonem, nunc ſcorpium oſtentat.

46 Faſcinum ex duobus humanis vultibus & elephantino, cuius proboſcide tenetur tridens, forſan contra pericula maris: modo ſingula bene ſint expreſſa, & alter vultus non fuerit ad ſimilitudinem Socratis, ut in Chifletiano num. 14, quod hîc exhibetur num. 309.

47 Navis ad vulgare inſtar arcæ Noachicæ.

48 Cupido, vel vim amatoriam immittens anſeri, vel eum impellens ad matris currum, qui ſic trahitur in gemma 5. Etiam hi ipſi anſeres ſunt,

qui in nummo Κυϱιέων ex Cypro excuduntur apud Goltzium, tacente Nonnio, Harduino cygnos interpretante (ut notiſſimus ille currus Veneris eſt) ſed ipſa alitum figura anſeres dictat.

49 Meſſor, ſi forte, Vertumnus, non ex corbe, ſed ex falce & ſpicis deſectis, ut milites Romani in tabula 83 Columnæ Trajanæ.

50 Julius Cæſar Pontifex maximus & Augur ex apice, & ſympuvio & pullo, ut ſæpe in nummis.

51 Bacchus velut Phyſcon geſtatus ab duobus pueris.

52 Gallinaceus & ſpica: an augurium de ubere frumenti proventu, quale etiam videtur occurrere num. 76. In gemmis Leonardi Auguſtini num. 199 gallinaceus tenet ore ſpicam, & ille aliter interpretatur. Poſſet eſſe etiam imago ſolis, quo temperante matureſcunt ſegetes, ut conſtat etiam ſoli ſacrum fuiſſe.

53 Arion tridente, id eſt, Neptuni vi delphinum, cui inequitat, regente pulſans citharam.

54 Equi quinque, ut judico, conſecrati, & forſan illi ipſi, quos ab Rubicone trajecto Julius Cæſar vagos & ſine cuſtode dimiſit.

55 Pan tubicen, & ut videtur, ad oſtenti exemplum, quod ad Rubiconem contigiſſe Cæſari narrat Suetonius cap. 32, ut rapta ab æneatore tuba ingenti ſonitu claſſicum exordiretur.

56 Caput Romæ vel Palladis, fere idem, quod in gemmis num. 126

57 Cupido Victor.

58 Bac-

58 Bacchi ſatelles cum lynce, cui videtur defundere vinum, plane ut in Sidonis nummo ſub Alexandro Severo apud Patinum & Vaillant.

59 Fæmina ſtans & exorare cupiens hominem media plus parte nudum ſub arbore adſidentem; an Ceres Triptolemum, aut aliquem e Lyciis paſtoribus?

60 Æſculapius.

61 Alius Bacchi ſatelles cum nebride, pedo, quale in Arateis Grotianis tenet Engonaſin & Arctophylax, & uva, fere ut in gemmis num. 153.

62 Leo, in ea figura, quam de Roma prædicebat Ovidius IV faſtor. 857 *Victorem terris impoſitura pedem*, ut notaret jus ac dominium fortitudinis: niſi pertineat ad ſimulacrum ſigilli Philippei poſt ſomnium de natura Olympiadis obſignata.

63 Pavo, & quidem cum quatuor pullis, in quo adulatur Domitiæ nummus apud Triſtanum.

64 Eques in ipſo impetu alicuius feriendi haſta, quomodo ſæpe Romanos Imperatores exprimunt nummi: an eſt Adraſtus unus in bello Thebano beneficio equi ereptus apud Higinum fab. 70?

65 Ceres pileata, ſpicas dextra tenens, ſiniſtra incumbens velut arundini: ſi modo hæc vere ſit exſignata, & non potius ſit ipſa fax, prout in Neronis nummo hæc ipſa exhibetur in Croyanis XX, 10. Alioqui ſic cum ramo ſolet fingi hilaritas.

66 Crater ſine anſis cum emblemate Pegaſi.

67 Sus fœta, ut num. 154, apud varios populos ad immolandum electa.

68 Mars haſtatus & galeam contemplans.

69 Maſiniſſa & Sophonisba, ut videtur, dum fervet bellum, connubii fœdere coeuntes.

70 Mercurius cum crumenis, atque adeo fauſtus, ſub quo tamen Principes Romani quoque Pietatem ſuam jactarunt.

71 Concilium corvorum, inſiſtentium partim cornubus copiæ, partim altari, quomodo occurrunt quoque in gemmis num. 55 & 172. An ſunt cornices, quæ conjugalis fidei ſymbola agnita, ut interpretes nummorum Domitiæ & Fauſtinæ ſcribunt? & hinc lætitiam abundantiamque rerum ſecundarum àc pietatem ſignant?

72 Baccha libans ad altare Bacchi ſub vite.

73 Veſpa fulmini advolans: in quo ænigmate Chifletius videre potuit Auguſtæum Feſtina lentè, in Abraxicis.

74 Paſtor nudus cum pedo & patera, tanquam ſacrificaturus.

75 Mercurius itidem ut num. 70, ſed appoſitis ante pedes duabus ſpicis, & innixus globo, quem ſuſtinet columna.

76 Gallus ut præco felicitatis publicæ mari perinde ac terra ut num. 7. Cui ſimilis nuper edita eſt in Spicilegio antiquitatis pag. 53, ſed alia interpretantis ſententia. Quippe primo annotata vigilantia, cuius interdum ſymbolo ſervit gallinaceus, deflectit ad Pauſaniam, ab quo pugnaciſſima hæc avis ſcribatur; atque ita jungit

vigi-

vigilantiam armatam. Relinquimus hæc illis, quibus placent. Nos non credimus talia ad manum fuiſſe ſcalptori.

77 Sol oriens in quadriga: an ex Plauti Amphitruonis loco toties in præfationibus de ſigillis allegato? ſed ſtans in plauſtro, non ſecus ac magna Mater *Ipſa ſedens plauſtro porta eſt invecta Capena* apud Ovidium 4 Faſtor. ut innuat inde pendere agriculturam, cujus inter præcipua inſtrumenta plauſtrum.

78 Fere eadem, quæ num. 5, niſi quod una tantum porrigitur ſpica: & videtur hic aliquid virile præferre, quum in Theſauro Palatino pag. 46 & hæc ſit fæmina, licet duas quoque ſpicas tenens, quum tamen ex veſte dependente in poſtica pateat eandem ſcalpturam eſſe.

79 Juvencus, forſan Faliſcus ad immolandum, an ut ſymbolum pacis apud nonnullos.

80 Puer nudus cum capra ludens.

81 Roma haſtata & Victrix ſedens.

82 Vinitor, non quilibet, ſed, quum adſcriptum ſit LIB. CON. unde patet auctorem Libero Conſervatori eum ſacraviſſe, ipſe vindemitor cœleſtis, de quo Ovidius III Faſt. 408.

Ampelon intonſum ſatyro nymphaque creatum
Fertur in Iſmariis Bacchus amaſſe jugis.
Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi,
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit: amiſſum Liber in aſtra vehit.

Unde etiam paſſim illę videtur adeſſe in ſolennibus Bacchi cum ipſo iſto inſtrumento, quod & num. 61 fuit, & temere, ut opinor, ſtrigilem bis interpretabatur Jac. Sponius in Miſcellaneis pag. 28.
83 Cupido cantharo velificans.
84 Mars & Venus dextras jungentes in fœdus.
85 Trium elementorum aeris, terræ, & maris, quæ præcipua ad hominem, ordo ſub ænigmate capricorni, cornucopiæ, & tridentis.
86 Matrona ſerpentem aræ circumvolutum ex patera paſcens, hoc eſt, Saluti ſacrificans, plane ut in Hadriani & Fauſtinæ minoris & Juliæ Mæſæ & Maximini nummis, ubi etiam illa, quæ ſacrificat, ſedet, quum in multis & Græcis & Latinis ſtans exhibeatur: ſed iſtud majoris eſt ſecuritatis ſignum.
87 Pallas haſtam vibrans, velut protectura ſacrum ſibi ſerpentem, ut olim notarunt viri docti ad nummos Julii Cæſaris & Neronis. Modo & Græci nummi hoc idem docuerunt, ut Meſſalinæ apud Patinum, Gortiniorum (ſcribitur enim ΓΟΡΤΙΝΙΩΝ) in theſauro Palatino. Sed & gemmam hanc citavit Triſtanus in Addendis tomi primi.
88 Capricornus, orbi incumbens, ſuppoſita nave roſtrata. Et illius quidem ſideris nota celeberrima eſt propter Auguſti thema natalicium, tam in nummis, quam ſcriptoribus hiſtoriæ: ſed & poſtea in nummis Veſpaſiani ac Titi, item Corneliæ Paulæ, ac Gordiani celebratum ſem-

per

per exinde ut felix & auſpicatum ſidus. Triremis aut admodum raro aut nuſpiam additur, & clavus ſubjici ſolet. Ut videantur notari fauſta auſpicia Auguſti terra marique vigentia.

89 Juno Regina ſedens cum ſceptro & ſerto; de priore teſtatur ipſa apud Ovidium VI faſt. 38. *Aurea cur dextræ ſceptra dedere meæ?* Poſteriore forſan coronatura victorem in ludis ejus.

90 Vultus L. Ælii Cæſaris ab Hadriano adoptati.

91 Aquila aræ inſiſtens & roſtro ſertum gerens, quaſi victoriæ index. Sed & conſecratio interdum ſic exhibetur.

92 Caput muliebre comptum ad ſpeciem Hiſpaniæ in nummo Galbæ, vel fæminæ apud Jaſonem in Spicilegio antiquitatis nuper edito p. 123.

93 Caput laureatum Neronis.

94 Junctæ dextræ; unde procedunt ſpicæ duæ & papaver, cui ſimile emblema jam occurrit num. 43.

95 Vultus Julii Cæſaris, cui frons bene capillata ſine lauro tribuitur velut ante raptam dominationem, tantum pontifici & auguri.

96 Caput Neronis cum cithara.

97 Caput Hadriani.

98 Caput Domitiani cum lituo & apice, ut num. 50.

99 Agrippina inter ſigna poſſet videri, niſi perſæpe in nummis hoc ectypum occurreret, ubi declaratur modo FIDES MILITUM, modo CONCORDIA MILITUM, nunc FIDES EXERCITUUM.

100 Ve-

100. Venus cum Cupidine ſuo jocans.
101 Vultus Commodi in exuviis leonis.
102 Victoria laurifera, tropeo ſertum imponens, ut in Neronis nummo apud Triſtanum tom. I pag. 225. An potius erecto tropeo digreditur Victoria, ut ſenatus accepto victoriæ nuntio decernat ſupplicationes? In his enim coronati & lauream in manu tenentes ſupplicabant, quæ ſunt verba T. Livii lib. XL c. 37, etſi non illæ ob victoriam.
103 Vultus Caligulæ ac Druſillæ.
104 Vultus Hadriani geminus cum Mercurio ad latus in annulo magico, ut videtur. unde is inſpicitur ſtudioſe ab Chifletio de Abraxa pag. 61, ubi ad Carpocraten & Gnoſticos refert.
105 Facies ſolis radiata cum planetarum notis. quem referri juſſit Chifletius in Abraxicis tab. 20 ad Baſilidianos pertinentem.
106 Minerva haſtata, & dextra gerens ramum oleæ, ut ſit PACIFERA. Eſt enim prorſus eadem figura, quæ in nummo Clodii Albini inter Croyanos tab. LII num. 23; vel Poſtumi apud Triſtanum tom. III pag. 160, ubi inſcribitur FAUTRIX, qui etiam nummum Græcum ΣΙΔΗΤΩΝ cum hac eadem imagine ſub Caracalla protulit tom. I·I pag. 225.
107 Roma ſedens victrix accincta, ut in nummo Neronis Croyan. XX, 16 & ſæpe.
108 Herculis arcus, clava, & pharetra, eodem modo & ordine in hac gemma exhibiti, prout in nummo Commodi inter Croyanos, Poſtumi apud

apud Triſtanum, & nonnullis Græcis Alexandri.

109 Junctæ dextræ unde prodeunt duo cornua copiæ & caduceus: quibus nemo attribuerit certiorem declarationem, quam nummus Auguſti prorſus hæc ipſa ſic referens inter Croyanos tab. XV num. 7 cum literis PAX.

110 Faſcinum ex capitibus gallinacei, leonis & equi, ex quorum inferiori parte exiſtunt duo ſerpentes poſt gyrum diſcedentes: neque enim placet cum Chifletio in Abraxicis ad gemmam quartam pag. 37 huc advocare Macrobiana de poteſtate ſolis apud Ægyptios ſub capite leonis, canis & lupi; licet etiam hæc tria ad ſolem commode referas.

111 Apollo præbens Scythæ cultrum ad excoriandum Marſyan, vel potius Scytha eum reddens Apollini, quum jam pellis derepta infra ad imam arborem projecta conſpiciatur. Sic enim contemplari malo; & hoc Gorlæi ſigillum longe exactius opiner, quam quod edidit Leonard. Auguſtinus part. II num. 9, & ipſe explicat ex ſedili pendentem perſonam Sileni, utpote ipſo Marſya ibi exhibito tanquam Sileno cum cauda, non tanquam ſatyro; quod neſcio quid velit. Certe pellis pendens docet jam excoriatum, & ideo fatuum eſſe, ſi barbatus adhuc ſedeat, quum & barba & pelle & crine careat. Fuiſſe autem hoc ſigillum Neronis nimium multi dicunt: quæ enim de his rebus inſtituta præfatio aut oratio id non occinit?

latius de hac gemma vid. Gallotti in Museo Odescalci Tom. 2. Tab. 2.

cinit? Adſunt effigies duæ, Neronis & Agrippinæ, ut vult Gorlæus, & perinde Leon. Auguſtinus. Sed hac viva nondum videtur adeo inſanivíſſe in cithara; & occiſa ea demum ſe effudiſſe in hæc dedecora notat palam Tacitus lib. 14 annal. & vultus fæmineus eſt juvenilior, quam ut Agrippinæ conveniat: & omnino refert Poppæam.

112 Venus victrix, Juno ſedens haſtata & pateram porrigens, & aquila capiti bovino victimæ inſiſtens cum appoſita lauru velut infula, item literis JOVI OPT. MAX. SACR. Alioquin nummi Alexandriæ Troadis tali aquila & bovino capite inſigníri ſolent, obſcura etiamnum cauſa.

113 Numen marinum piſce ſuo vehens Nereida, tanquam ſumptum ex tabula 51 Antiquitatum Romanarum. An potius Neptunus ex tridente videbitur vehens Amymonen ſuam quam inter Iſmeniæ ſculpturas celebrem olim memoravit Plinius, & fabulam refert Higinus fab. 169.

114 Gallinacei pugnantes de corbe frugum plena, quam evertere incipiunt.

115 Olla utrinque anſata inter duas ſtellas cum tribus literis PLI; an eſt crater cœleſtis? qui tamen in Arateis Grotii aliter depingitur.

116 Quadriga, cui ſuperlatus eſt tridens, ad denotandos ludos circenſes in honorem Neptuni.

117 Ceres ſedens, tenensque papaver, altera manu inſtrumentum ad agriculturam, cum ſpica ad latus.

118 Gem-

118 Gemma, ut videtur, Chriſtiani, exprimens arcam Noachi & columbam emiſſam cum iride, quam tetigit Laur. Pignorius in prima Symbolicarum epiſtolarum.

119 Caput muliebre ignotum.

120 Canis venatica leporem prendens.

121 Salus Dea ante aram ſuam poſita.

122 Caput Sarapidis cum aquila fulmen portante inter duo ſigna Romana; quod annotavit Chifletius in Abraxicis num. 106.

123 Quadriga agitante Cupidine & ſertum porrigente, tanquam & huic ludos circenſes actos indigetaret; ſi modo recte excepta eſt ſcalptura, & non Victoria ipſa æque alata agitaverit, ut ſæpe in nummis præſertim familiarum Romanarum.

124 Fere ut num. 107; ſed vir ex genis apparet, ut ſit Mars tropeifer aut victor: forſan prave, quum Mars Victor in nummo Domitiani currens incedat, & ſtet num. 8.

125 Palladis caput, in cujus galea videtur expreſſus Socrates.

126 Imperator ſacrificans ob victorias reportatas duas, quarum Symbola ex ſignis ad latera, forſan ex meridie & alteram ex ſeptentrione; an ubique victor, ut in nummo Conſtantini ad utrumque latus adſidentes captivi idem ſignificant, ut docet inſcriptio, apud Triſtanum tom. III pag. 536? etſi veſtis non videatur accurate excepta.

127 Gryphus corvum adflictum lanians, ut in Durmia familia leo.

128 Statio temporis, ut opinor, hiemis.

129 Aquila victoriæ index per ſertum in roſtro.

130 Victoria coronam laurumque deportans cum abundantia rerum, ut num. 171.

131 Fæmina nuda ſacrificat ad ardentem & tripodi ſuperpoſitam cortinam, cujus medio igne apparet ramus lauri, ut appareat fieri Apollini; quando etiam inter ſolennia fuerit, quod de Palilibus notat Ovidius IV Faſt. 742. *Et crepet in mediis laurus aduſta focis.* An vero ipſa Medea eſt, quæ

Arenti ramo jam pridem mitis olivæ
Omnia confudit, ſummiſque immiſcuit ima.
Ecce vetus calido verſatus ſtipes aeno
Fit viridis primo: nec longo tempore frondem
Induit; & ſubito gravidis oneratur olivis.

132 Cupidinum duorum luſus, vel Erotis & Anterotis, ut quidem cenſet Laur. Pignorius Symbolic. epiſt. 5. Quod ſi licet deſerere, & paulo accuratius inſpicere; oportet attendere in editione Gorlæi perverſe lineas illas rectas in majore ſcalptura ductas eſſe, quum in minore, ubi ex vero exhibetur ipſius annuli ac gemmæ conſpectus, illæ non ſint, & rotundus ille orbis adfigatur circulo illi oblongo; id quod in majore obſervari ſancte debuerat. Quo animadverſo, manifeſtius ipſe aſpicerem typum concordis pacis, quâ ligata ſunt elementa, quorum oceanus in ipſa annuli pala aperte expreſ-

ſus

ſus circumfluit omnia; terra ſe librans pondere ſuo ei innatat; ſupra aer ac ſuperior æther volantium ſpecie ita exhibetur, ut manibus brachiiſque innexis ſe mutue retineant.

133 Mars, vel miles, haſtatus & pugionem in vagina tenens cum clypeo ante pedes.

134 Corvus cum lauro, cui ſuperne eſt ſtella, quem & ipſum ad Baſilidiana retulit Chifletius in Abraxicis tab. v.

135 Aquila columnæ inſiſtens inter duas ſtellas, cum literis JULIUS CESAR.

136 Minerva victrix, ut gemm. 15.

137 Mars depoſita lorica & clypeo tropeifer, quum in nummo Domitiani portet victoriolam.

138 Paſtor in cilicio vel pelle (ut num. 166, & paſſim) ſub arbore caprimulgus. Apud Goltzium in nummo Megarenſium non additur arbor. Sed rectius gemma noſtra præbet hanc umbram, quia plerumque paſtores eam quærunt, unde formulam precandi præſcribit illis Ovidius IV faſt. 756. *Sive ſacro pavi, ſedive ſub arbore ſacra.*

139 Imperator, vel Mars Romanus, ab Victoria coronatus, fere uti Domitianus in nummo apud Ant. Auguſtinum, vel Marcus Antoninus in Croyanis tab. 47 n. 2.

140 Conjugii typus, qualis in Plautillæ nummo ut Propago imperii deſcribitur; ſed non utitur hic ſponſus veſte Romana, nedum Imperatoria.

141 Mulieris in florida ætate caput inter duo cor-

nua copiæ appoſitâ ſtellâ, ad denotandam urbis alicujus felicitatem & ſplendorem.

142 Mater magna Cybele inſidens ſellæ ſuæ inter ſolitos duos leones adſtante Fortuna, plane prout adſtat illi ipſi etiam in nummo Peſcennii Nigri apud Patinum pag. 274 ad beatitudinem Cæſareæ notandam, nec aliter eadem appoſita eſt Cereri ſedenti in nummo Neronis ad annonæ Auguſti ubertatem teſtandam. Sic illæ duæ ſibi tunc occurrebant.

143 Lupa cum infante ſub arbore, ſive ille ſit Miletus, de quo Goltzii tabula vt inſularum Græciæ nummus Κυδωνίων, & Triſtanus tom. 1 pag. 96 ac noviſſime Patinus pag. 50: ſive Aventinus. Hic certe extremam mammam appetit, ut Goltzianus, quum Triſtanianus & Patinianus primam.

144 Caput Neptuni innatans delphino, & appoſito ſceptro ad notandum maris dominium.

145 Fortuna cum temone, quem gubernat manu; ſed cornu copiæ, quod ſolet gerere, mutatum eſt in ſcyphum aut ſimile quid ei, quod geſtat Cappadocia in nummo Hadriani, aut quale tenentem manum Triton elevat in nummo gentis Valeriæ. Sed non eſt accurate exceptum.

146 Biga Cupidinis, non in ludis, (tunc enim incitate currerent jumenta, ut num. 123) ſed in pompa tardigrada.

147 Puella ſpeculum conſulens, capite bene compto & ſimul alato; poſtica mutata in ſenilem faciem ſatis ridiculam: Famæ forſan ænigma vel calumniæ.

148 Puel-

148 Puella admirans abundantiam in cornu; quod portat.
149 Caput Auguſtæ.
150 Columnæ vel altari cui circumvolvitur ſerpens, adcreſcente ramo ſuperpoſitus tripus cum ardente cortina; adſidet fæmina ſuperiorem partem corporis nuda, ſerpentem contrectans: non aliter ac ſi ipſum Salutis augurium hîc perageretur; ad quod tamen adhibebantur augures.
151 Salus Dea, fere ut nùm. 39.
152 Sacrificium Salutis.
153 Caput Dianæ cum pharetra & arcu.
154 Sus, utrum ut num. 67, an Cromyania ab Theſeo occiſa.
155 Satyrus tibias utraſque ori admovens.
156 Equus dentes infigens cortici arboris, an pedes ſcabens.
157 Aquila fulmen geſtans, cùm ſtella & literis Julius.
158 Jupiter chlamydatus & haſtatus cum fulmine, ſub quo ad pedes aquila: qui eſt ipſe nummus Commodi ſub appellatione Jovis Conſervatoris in Croyanis tab. LI num. 19, quem dein ſequutus eſt Tetricus & alii.
159 Hercules nudus, cum pelle leonina & clava; & in altera manu ramus denſioribus foliis; cui picturæ vocem præbet nummus Probi, ubi prorſus eodem occurrit habitu, cum literis Herculi pacif. hoc eſt, pacifero. Idem omnino jam ante exhibebatur in nummo L.

Veri,

Veri, ubi tituli Cæſarei occupaverunt locum appellationis divinæ; atque adeo ſit ramus oleæ.

160 Mars inter arma, ſed contemplans galeam, fere ut num. 68.

161 Aquila fulmen pedibus, roſtro ſertum gerens inter duo Romana ſigna, ut ſæpe.

162 Quadriga Victoriæ, tanquam ei ludos editos indicaret.

163 Roma inſidens loricæ victrix, ut num. 107.

164 Hercules innitens clavæ, ut Herculi Auguſto in iſto habitu colonia Patrenſis ſub Nerone nummum publicavit apud Cl. Vaillantium in coloniis.

165 Caput mitratum, adſpiciens cornu copiæ quod tenet. Gemmam iſtam & mitræ formam oſtendit ſe contemplatum fuiſſe Petrus Scriverius in notis ad Martialem pag. 48. In quo ſi conjecturæ venia, dicas Midam juvenem eſſe, quem ſenem e nummo produxit Jac. Sponius in Miſcellaneis pag. 130. Sed & Deus Lunus ſic ornatus apparet in nummis Trapezuntis.

166 Paſtor in diphtera (ut num. 138) velut obſervans (nec enim vel manu vel baculo minatur, ut verſiculi notiſſimi de futura hoſtia huc applicari nequeant) tantum, dico, obſervans caprum, qui arrodit oleam, ut manifeſte expreſſit Gorlæus tam hîc, quam in gemma 53, quæ prorſus exprimitur quoque in altera gemma theſauri Palatini pag. 95, unde mira illic ſapientia educitur. Ego autem opinor id ipſum hîc exprimi, quod habet Higinus fab. 274.

Caper

Caper vitem quam præroſerat, plenius fructum protulit. Unde etiam putationem invenerunt. Id ſicut ab Higino de vite narratur; ita ab aliis de olea & narratum & creditum videtur, certe ab ſcalptore gemmæ noſtræ & tot aliarum.

167 Caput muliebre ignotum, niſi quod Dianæ caput ſic interdum occurrat in tribus ſpiris.

868 Caput hilare ac nitens, etiam alatum ac petaſatum Mercurii, ante quod caducei ſolita forma, nec manu retenti, nec ullo fundamento nixi, non ſecus ac ἑρμῆς jam ἀέριος ſignificaretur, cujus meminit Dion Caſſius pag. 805.

169 Mars armatus cum adverſo leone, velut blandiente, ut is ipſe etiam adſultat Victoriæ tropeum ferenti in nummo Caracallæ apud Triſtanum.

170 Imperator, ut videtur, Marcus Antoninus (barbam enim obſcure ſatis nunc expreſſam video quam produxit Gorlæus) ſedens ſacrificat & ab Victoria coronatur.

171 Victoria cum appoſito cornu copiæ, ut num. 130, quæ nulla cauſa eſt, cur fuerit geminata.

172 Spica inter duos gallinaceos, altero concutiente per roſtri ictum, altero grana elapſa colligente.

173 Auriga (niſi mulier eſt) agitans currum birotam uno equo.

174 Aquilæ partem ſerti ſuſtinentes roſtro, qualem ſuſtinent duæ tædæ in monumento, quod editum inter cimelia Genefevæ pag. 34; Cupidines in ſepulcro M. Antonii Antii Lupi; bubula capita in ſepulcro Cæciliæ.

175 Gladiator rude donatus, arma velut ad ſacrum

poſtem aut columnam dedicans.

176 Ceres, ut videtur colligi ex ſpica, quæ ab po-
ſtica ſedis procedit, contemplans caput ini-
mici abciſum, vel magis larvam in ludis Ce-
realibus uſurpatam, ſiquidem recte ſpecta-
vit Gorlæus, & non idem ſit, quod num. 117.

177 Apollo ſuſtinens citharam.

178 Venus caducifera cum alite, ut videtur, cor-
vo. Forſan Felicitas publica, vel Pax quæ
prædicitur. Eo enim ſenſu caduceum in num-
mis ſæpe geſtant etiam fæminæ, ut in num-
mo Triumvirorum, Othonis, Veſpaſiani,
Titi & Juliæ Mamææ.

179 Hadrianus, ſed non ſatis ſcite factus.

180 Cupido vectus delphino, non ſecus ac fla-
gello ſuo, hoc eſt, vi amoris delphino inſpi-
rata cogeret eum feſtinare ad ſatiandum amo-
rem, ac plane celari Neptunum, quem *ſenſit
delphina Melantho*, canente Ovidio lib. VI
Metam. 120.

181 Delphinus anchoram circumplectens, qui fre-
quens typus in Græcis ac Romanis nummis
ſive imperii maritimi ſeu quietis ejus index.

182 Scævola.

183 Abraxas ornithocephalus ac deſinens in ſerpen-
tes, quem retulit quoque Chifletius fab. 2 num.
6 cum aliis fere ſimilibus, quos habes in gem-
mis num. 331.

184 Nomen ſalutiferum ramis oleæ coronatum.

185 Mulier haſtata adſtans aræ humili, ad quam de-
mittit altera manu duas ſpicas, procedente
deſub pedibus gemino ſerpente, quorum unius
ca-

caput porrigitur inter aram & ſpicas: ante faciem apponitur luna cum ſtella. Poſſet videri Tireſias jam mulier, ut reciperet virum, calcare ſerpentes, ex fabula nota apud Higinum num. 71 & alios. Sed potius videbitur Cereris ſacrum nocturnum. Conſtat quidem lunam cum tali ſtella fuiſſe quarundam urbium proprias notas; (etiam nummo gentis Calpurniæ adjiciuntur in Abr. Gorlæi ſupplemento) frequenter tamen indicium noctis habent ut opinor & hoc loco.

186 Faſcinum ex ſenili & equino capite, caudaque & pedibus gallinacei, cui ſimile habet Chifletius in Socrate. Quod ſi placet altiora ſapere, adeas licet Fortun. Liceti gemmas annulares pag. 94.

187 Lætitia æſtatis & autumni per juvenem nudum ſpicas duas & racemum uvarum manibus gerentem.

188 Cultus virilis barbatus ac muliebris uno collo junctus ut alibi paſſim: ac ſi Juſtini interpretationem de bifronte Cecrope approbaſſent, quod marem fæminæ matrimonio junxit. Eſt & in nummo gentis Ogulniæ.

189 Jupiter puer in capra Amalthæa, velut factum exemplar ex nummo Salonini, Gallieni filii: etſi poſſet eſſe etiam Ægiſthus ex Higini fabula 88 & Æliani libro XII ποικιλ.

190 Primitiæ frugum & fructuum, ut adoleantur Diis, per virum nudum aræ adſtantem ſignificatæ.

191 Biga Victoriæ etiam in pompa, ut num. 146.

192 Hexagonum ſerpenti incluſum, ſine literis, quas interſparſas habet heliotropium in gemmis num. 459 excerptum ex Chifletii Abraxicis tab. xxv, & aliud in cimeliis Genevevæ Pariſinæ pag. 135.

193 Sarapis radiatus, quem excerpſit quoque hinc Chifletius in iiſdem tab. xxvi num. 109.

194 Luna cum impendente majore ſtella, ſex minoribus eam circumdantibus; quod & ipſum illuc refert Chifletius tab. xx num. 80.

195 Idem qui num. 187.

196 Gladiator eodem habitu, quo apud Leonard. Auguſtinum num. 167 partis primæ, niſi quod illic abſit adpoſitum humi ſcutum.

197 Regulus orientis inter ſimilia cornu copiæ ornamenta, ut num. 145.

198 Alius cum literis externis.

199 Geta Cæſar.

200 Reginæ ignotæ vultus.

201 Neronis caput laureatum.

202 Jupiter, ut num. 158.

203 Fortuna cum ſolitis ornamentis cornu copiæ ac clavi.

204 Vulcanus in officina ſuper incudem operans.

205, 206, 207, 208, 209 Annuli ferrei clavibus accincti ad condendum penu.

210 Annulus pro pala habens formam caligæ militaris, in qua literæ JUSTUS.

211 Annulus Chriſtiani cum ſalutari nomine ex Roma ſubterranea.

212 Facies Lucillæ Auguſtæ.

213 Falx & culter.

214 Pallas.

FINIS.

1
2
Lupa. Romul. et Rem lactans.
AN. FERR. GEMM. SARDÆ INC.
Deus Genius.

 A

Iul. 3 Cæſar
Hercul. 4 Romanus
AN. FERR.
GEMM.
SARDÆ INC.

5
6
Fides publicæ.
Abundantiæ Typ.
AN·FERR.
GEM·SARDÆ INC.

Victoria Terra
Mariq; parta
8
AN·FERR·Romæ Typus
GEMM·IASPIDE INC.


10
Ales Iovis
Corvus Apoll.
AN. FERR.
GEMM.
ACHAT. INC.

victoria pacifera.
11
12
AN·FERR·
GEMM·
SARD·INC·

13
14
aequitas
AN. FERR.
mu scævola
GEMM.
ACHAT. INC.


15
16
AN. FERR.
GEMM.
ACHAT. IASPIS
INC.



TOM.I. C


AN. FERR.
GEMM.
ACHAT. GRANATA.
INC.
19
Corvus Apoli.
20
tropheum


21
22
AN·FERR.
GEMM.
ACHAT. INC.


23
24
AN·FERR·
GEMM·
INC·
ACHAT·
ONYX.


25
26
AN·FER·
GEMM·
ACHAT·
SARD·
INC·
Neptunus

27
28
AN·FERR·
GEMM· SARDÆ INC·


29
30
AN·AR
in AVR
GEM·SARDINC

31
32
AN·ÆR.
in AVR.
GEMM.
SARD.
ACHA.
·INC

TOM·I E


35
36
in Aur.
AN. AER.
GEMM.
PRASINOS SARDA
INC.



AN·AER·
GEM·ACHAT·INC·

AN·AER·CVM
PALA·ARG·INC·
Spei Typus.


39
40
AN.AER.
GEMM.
ACHAT.
INC.
PRASINOS

TOM·I F

43
44
AN.ARG.
GEMM.
ONYX
PRASINOS
INC.
Concord. pac.
et abundant.
Victor. sed.
Typ.

AN·ARG·
GEMM·ACHAT·INC·


47
48
AN.ARG.
GEMM.
ONYX
SARDA
INC.


49
50
AN·ARG·
GEMM·
ONYCES
INC·


AN·ARG·
GEMM·
ONYX.& SARDA.
INC·

AN. ARG.
GEMM.
ACHAT. SARDA
INC.
53
54


55
56
AN·ARG·
GEMM·
SARDA IASPIS
INC·

AN·ÆRG·
GEMM·
SARDÆ INC·
57
58

AN.ARG.
GEMM.
59. ACHATES HELIOTROP. 60
INC.

61
62
AN·ARG·
GEMM·
ONYCES INC·

63
64
AN·ARG.
GEMM·
HELIOTROP. ONYX
INC·

65
66
AN.ARG.
GEMM.
SARDA. ? ACHATES.
INC.


67
68
AN. ARG.
GEMM.
SARDA ONYCH

69
70
AN.ARG.
GEMM.
SARDA ONYX.
INC.


71
72
in Aur
AN.ARG.
GEMM.
ONYCES INC.


AN.ARG.
GEM.ONYCES INC.
73
74


76
75
AN.ARG.
in AVR.
SARDA
GEMM.
ONYX
INC.

2
77 AN. ARG. 78
GEMM.
in AVR. ONYCES INC.

79
80
AN.ARG.in AVR.
GEM.SARD.INC.
AN.ARG.
GEM.ACHAT.INC.

AN. ARG. *in* AVR.
GEMM. ONYCES INC.


AN.ARG.
in AVR.
GEMM.
INC.
ONYX
SARD.
83
84


85
86
AN·ARG·
inAVR·
GEM·ONYX
INC.
AN·ÆR
SIGILL.
ARG·inAVR·
INC.


87
88
AN.ÆRG.
in AVR.
SARD. GEMM. ONYX
INC


89
90
AN.ARG.GEM.
SARDA INC.
AN.ARG.in AVR.
GEM.SARD.INC.

91
92
AN.ARG.
in AVR.
GEMM.
SARD.
ACHAT.

93
94
in AVR.
AN.ARG.
SARD.
GEMM.
INC.
ONYX.

95
96
AN.
ARG.
SIGILL.
AVR.INC.

97 AN.ARG. 98
SIGILL.
AVR. INC.


99
100
AN. ARG.
GEMM.
IASPIS
ONYX INC.

101
102
An·ex·ſarda·integra
cum pala aurea
& circulo arg.
an.arg. cum
ſtriis aureis
& Jaſpide utriqꝫ
Achatem habens inc.

AN *Fer cum ſigill. arg. verſatili ab una parte excis ab altera inc.*

104
AN.ARG.in AVR. cum ſigillo
verſatili excis & inc.

105
An.arg.cum pala aurea
GEM·SARDA·a laterib. æs &
ferrum habens.

106
107
AN. ARG.
GEMM. SARDÆ. INC.


108
AN.ARG.
GEM.ACHATES INC.

109
AN·ARG.
110
GEMM·
CYANEAE INC·

III
An. aureus cum ſigillo hinc inde
verſatili ab uno latere GEM. SARD.
inc. ab adverſo verò Neronis et
Agrippinæ effigiem aur. inc. præ ſe ferente.

AN·AVR.GEM. SARDA INC.

ab utroque latere onych inc habens.

AN·AVR.
GEM.SARDÆ INC.
113
114


P
L I
115
116
AN. AVR.
GEM.
ONYCES INC.


117
118
AN.AVR.
GEM.
ONYCES
INC.



119
120
AN. AVR.
GEM.
ONYCES INC.

121
122
AN. AVR.
GEM. SARDÆ
INC.

AN. AVR.
GEM.SARDÆ INC.
123
124


AN. AVR.
GEM. ONYCES IN
125
126

127
128
AN. AVR.
GEM. ONYCES INC.

129
130
AN AVR.
GEM.
SARDÆ
INC.

131
132
AN· AVR·
GEM·
ONYCES INC.
hunc percurrunt 2a. lineæ arg.

131
132
AN· AVR·
GEM·
ONYCES INC·
hunc percurrunt 2.ª lineæ arg.

133
134
AN.AVR.
GEM.ONYCES INC.

IVL IVS
CES AR
135
136
AN. AVR.
GEM.
CYANEA SARD.
INC.


137
138
AN. AVR.
GEM.
SARDÆ INC.


139
140
AN·AVR·
GEM·SARDÆ INC·

141
142
AN· AVR·
GEM· SARDÆ·
INC.

143
144
AN·AVR·
GEM·ONYCES INC·

145
146
AN. AVR.
GEM.
ACHAT. SARDA
INC.



TOM. I. V


149
150
AN. AVR. GEM.
SARDA INC.


151
152
AN.AVR.GEM.
SARDÆ.INC.

153
154
AN.AVR. GEM.
SARDÆ INC.


AN.AVR.GEM.
ONYX.INC.
155
156


157
IVLIVS
158
AN.AVR.GEM.
ONYX INC.

159
160
AN.AVR.GEM.
ONYX INC.


161
162
AN.AVR.GEM
ONYX INC.

163
164
AN.AVR. GEM
ONYX INC.


165
166
AN.AVR.
GEM.
ONYX INC.

167
168
AN.AVR.GEM.
ONYX INC.


169
170
AN.AVR.GEM.
ONYX INC.


171
172
AN: AVR: GEM.
ONYX INC.

173
174
AN. AVR.
GEM.
ONYX INC.

175
176
AN.AVR.GEM.
ONYX INC.


177
178
AN: AVR: GEM.
ONYX INC.

179
180
AN.AVR. GEM.
ONYX INC.

181
182
AN. AVR. GEM.
SARDA INC.
AN. AVR. GEM.
IASPIS INC.


183
AN.AVR.GEM.
184
ONYX INC.


185
186
AN.AVR.GEM.
ACHATES.
SARDA.
INC.


187
188
AN·AVR . GEM.
ONYX HYACINT.
INC ·


189
190
AN.AVR.
GEM̃.ONYCES INC.


191
192
AN·AVR.
GEMM·SARDÆ
INC.


193
194
AN. AVR.
GEM.
ACHATES & SARDA
INC.


AN. AVR.
GEMM. ONYCES INC.
195
196


197
198
AN. LAPID.
CORNAL.
ACHAT.
INC

199
200
AN.AVR.
ACHAT.
CORNAL.
EXC.

201
202
AN.AVR.ACHAT.EXC.
AN.ET.GEMM.
ACHAT.INC.

AN. AVR.
CRISTAL. CORNAL
INC.
203
204


205
206
ANN. FER SIGNAT.
207
208
209


201
211
A ω
ANN. CRYSTALL.
IVSTVS
ω A

LVCILLA AVGV
212
213
ANN. AER.

ANN. AVR.
Finis Annulorum
Partis Primae.

ABRAHAMI GORLAEI
ANTVERPIANI
DACTYLIOTHECAE
PARS SECUNDA,

SEU
VARIARUM GEMMARUM,
Quibus antiquitas in ſignando uti ſolita,
SCALPTURAE,
triplo quam fuerunt, partim antehac ineditarum, partim ex ſcriptis eruditorum virorum collectarum numero locupletiores,

cum ſuccincta ſingularum explicatione
JACOBI GRONOVII.
Accedit
MARBODAEI, GALLI, CAENOMANENSIS, Carmen de Gemmis & Lapidibus.



LUGDUNI BATAVORUM,
Excudit PETRUS VANDER AA, Bibliop.

cIↄ Iↄ c xcv.

JACOBI GRONOVII
EXPLICATIO FIGURARUM
IN GEMMIS
ABRAHAMI GORLAEI ET ALIORUM.

Num. 1 CUpido citatiſſime equitans, quaſi alis equoque acceleraret.

2 Bellerophon & Chimæra, ut ſæpe in nummis Corinthi.

3 Apollo ipſe, vel fanaticus ab Apolline, cum omnibus oraculi inſignibus, cithara, tripode & cortina, corvo (ut ann. 10) & lauru, quam tenet quoque in nummo Caracallæ Croyano. Hanc gemmam ut & alteram num. 98 & tertiam num. 111 conſideravit Triſtanus in addendis in tomum primum.

4 Fortuna cum ſolito cornu copiæ & clavo.

5 Fæmina currui inſiſtens, urgens alato flagello duos anſeres ei junctos, quos ſingulos moderantur pueruli.

6 Gemma notabilis, in qua exhiberi opinor nuptias per confarreationem, junctis coeuntium manibus, ſponſa far frugeſque imponente ignibus in altari, ſponſo affundente aquam: quibus ad ſacri ſolennitatem rite augendam adeſt liticen,

ticen, & velut Juno pronuba cum ſceptro apportans caniſtrum frugibus plenum. Vide I. Lipſium ad Taciti Annales IV, 16.

7 Bubulcus in diphtera cum armento.

8 Priapus jocoſe ex arbore concinnatus, appoſito cratere, ſimiliter exciſo ex ſummitate rupis, cui ſacra facit Faunus.

9 Bacchus ſub vite cum thyrſo & cane.

10 Mercurius & Pallas, quaſi hæc Atticam terram irrigare conſtituens, Jovis juſſu per Mercurium prohiberetur id facere, de qua re Higinus fab. 164: an conſultant de filiabus Cecropis? adſtat enim Actæo texta de vimine ciſta, cui pedem hæc imponit.

11 Immolaturus primitias frumenti.

12 Indulgens genio poſt victoriam in ludis.

13 Apollo, an Orpheus? citharam pulſans.

14 Sacrificium, ut videtur, ab gravida inſtauratum, ut commendaret uterum diis & præſertim Junoni Lucinæ, ex deſcriptione Ovidii III Faſt. 253.

Ferte Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea: de tenero cingite flore caput.
Dicite, tu lucem nobis Lucina dediſti;
Dicite, tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida eſt, reſoluto crine precetur,
Ut ſolvat partus molliter illa ſuos.

15 Minerva Victrix, ut hanc ipſam loquentem facit nummus Caracallæ inter Croyanos LIV, 11: nec alia occurrit in annulo 136.

16 Hæc quoque ſeu florentem herbam adolens honorat

norat Junonem ut num. 14, cujus ſceptrum adeſt; vel laurum foco imponit, ut ann. 131: an eſt maga?

17 Salus Dea innitens columnæ, præter quam ex tranſverſo prominet haſta, Divinis ſtatuis addi ſolita.

18 Fortuna, ut num. 4.

19 Spes, conclamata an implenda propediem?

20 Præfectus claſſis.

21 Mulier palmam, quam nacta eſt, diis ſacratura.

22 Apollo cum Marſya.

23 Inter cornu copiæ & caduceum inter vas ejuſdem figuræ, quam tenet Scythia apud Anton. Auguſtinum in tabula 72 ad Dialogos: niſi quod noſtrum in gemma ſit anſatum: an igitur copiæ lætitiæ paciſque typus?

24 Venus ſedens nuda & victrix accepto pomo aureo, quod oſtentat, ab Paride. Sic ex nummis Plautillæ & Herenniæ Etruſcillæ commodo huic gemmæ vocem.

25 Leo & Equus in pernici curſu.

26 Antinous, ut opinor, ſub forma Mercurii vehens elephanto. an erit ſymbolum æternitatis, quæ in nummis Maximiani?

27 Corvus lauro inſiſtens, ut notum.

28 Paſtor hircum abigens, forſan ad ſacrificium Bacchi; unde hæc cælatura erat in ejus curru, prout exſtat in Antiquitatum Romanarum tatabula LIV, & qualem immolat Numa in gente Pompilia.

29 Vultus feſtivus Cupidinis.

30 Palladis Galeatæ vultus, an Romæ.
31 Lætitiæ typus per ſpicam & uvam, quas tenet manibus oſtentatque illi qui coegerat.
32 Fortuna, ut num. 18, cui blanditur Cupido.
33 Sabinæ vultus, ut occurrit in nummis quibuſdam.
34 Forſan eadem alio ornatu capillorum.
35 & 36 Duo viri nudi, ſed in tergo pendulam veſtem ab humero demittentes, altera manu elevantes vel caput recens abciſſum, quorum alterum habet etiam dependentes lemniſcos, vel larvam; quod dum contemplor, opportune ſuccurrit ſpicilegium Antiquitatis, cujus eruditus editor ac interpres ſignificabat pag. 71 caput humanum in Capitolii fundamentis repertum, quod ad hanc gemmam congrue deſcripſit Livius integra facie fuiſſe, Cato in fragmentis apud Juſtum Rycquium recens & fluente ſanguine.
37 Idem vultus, qui num. 30.
38 Fere ut num. 33.
39 Cithariſtria victrix, an Muſa.
40 Luctator in gradu & projecta manu quaſi ingreſſurus modo luctam.
41 Monſtrum Ægyptium, ſiquidem recte exceptum ſit; vultu antico canino, poſtico virili, interpoſitis cornibus, deſinens in Pana, Cupidini manum porrigens, tanquam iidem jungerentur, qui in annulis num. 31.
42 Lucta Erotis & Anterotis (hîc enim licet hos admittere, qui in annulis num. 132 repudiari de-

debebant) non aliter exhibita, quam veri luctatores in nummis Laodicenſium & Aſpendiorum.

43 Equus marinus, qualem edidit quoque Leonard. Auguſtinus num. 212, & conſpicitur in Antiquitatum Romanarum tabula L, in nummis vero tum Gallieni cum inſcriptione NEPTUNO COS. AUG. tum Lampſacenorum: atque etiam in nummo coloniæ Auguſtæ Troadenſis apud Vaillantium Neptunus manu tenet.

44 Aquila roſtro ramum lauri, pedibus fulmen tenens.

45 Leo frendens & rugiens, demiſſa tamen cauda, prorſus ut in nummis ΥΕΛΗΤΩΝ, & Smyrnæorum, & Caſſandri, & Imperatoris Philippi.

46 Biga Victoriæ.

47 Ubertas, quam explanationem mutuor ex Piveſvii Tetrici nummo apud Triſtanum, qui proxime huc accedit; quum alioquin ea aliter ſoleat exprimi.

48 Deucalion & Pyrrha, ut interdum in nummis: an conjugii concordia?

49 Fauſtulus paſtorio habitu & baculo innitens cum lupa & lactentibus geminis ſub ficu Ruminali.

50 Mercurius pacem nuntiat dominatrici & principi terrarum Romæ, ſedenti in fabrefacto throno.

51 Fæmina ſacrificans.

52 Salutis Deæ ſtatua.

53 Paſtor cum capra itidem, ut in annulis num. 166.

54 Fortuna, Ceres, Victoria, Pallas conjectæ in unam formam, ut eſſet inſtar Panthei.

55 Auſpicia omnigenæ fertilitatis & ubertatis, declarata per duos corvos inſiſtentes totidem cornubus copiæ, quorum in medio duæ ſpicæ duoque papavera prodeunt ex vaſe, quo in vetuſtis his monumentis ſolent deſignari lacus & receptacula aquarum.

56 Pomona cum adunca falce & ramo felicia poma ferente, & cane, cujus collo inſerta copula, ut num. 69.

57 Lætitia trium anni partium, veris, æſtatis, autumni deſignata per virum, ante quem poſita eſt olla unde naſcuntur flores, manibus tenentem ſpicas & ramum arboris.

58 Hercules cum clava & ab capite pendentem habens pellem leoninam, inſidens loricæ quam abſtulit Reginæ Amazonum, vel Cygno Martis filio, quem armis ſpoliatum occidit, ut narrat Higinus fabul. 31, ut apud eum legi debet.

59 Miles poſt loricam haſtamque ſumptam impoſiturus quoque galeam.

60 Statua fæminea cum ramo, quem demittit, & cornu copiæ. Ita deſignatur Felicitas provinciarum in nummo Domitiani, quicum ad amuſſim convenit. Nec dubito felicitatem Antiochenſis coloniæ indicari eodem penitus typo apud Vaillantium tom. 11 Colon. pag. 3, qui refert ad victoriam Severi.

61 Vulcanus fabricans alas Cupidini adſtanti cum Ve-

Venere adſidente & arcum abſcondente.

62 Faſcinum ex vultu ſimi Socratis, corpore & pedibus poſterioribus equinis, anterioribus gallinacei & cauda.

63 Imperator armatus & paludatus victoriæ aram & ſtatuam dedicans, vel tacto ejus ſimulacro jurans.

64 Meſſor inſidens corbi ex vimine cum falce & faſce ariſtarum ante pedes, idque ſirio dominante. Saturnum ipſum edebat interpres ſpicilegii modo citatus.

65 Gaditana vel Syriſca cymbaliſtria.

66 Libertas reſtituta ex victoria, cujus ſignificationem præbet ramus lauri, quem tenet præter pileum.

67 Latro ad palum alligatus.

68 Deus marinus, plane ut in annulis num. 113 niſi quod hic non tridentem, ſed laurum tenet. Et tamen potuit hinc Nicaſius ſibi fingere Sirenen præcipitatam in mare.

69 Canis capram agitans, forſan portio Floralium ludorum, de quibus alternans cum Flora Ovidius III Faſt. 371 ſcribit

Cur tibi pro Libycis claudantur rete leænis
Imbelles capreæ ſollicituſve lepus?
Non ſibi, reſpondit, ſilvas ceſſiſſe, ſed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.

70 Ad Abraxam refert Chifletius tab. 1 num. 3, quem ſub figura ſolis flagello inſtructi coluerint perverſi homines.

71 Ciconia.

72 Æquitatis ſymbola vel inſtrumenta in illis, quæ pondere aut menſura conſtare dicuntur, ut mox num. 78 ipſa Æquitas.

73 Venus columnæ innitens, haſtamque & galeam & ſcutum circa ſe habens, cui ſimilem edidit Leonar. Auguſtinus num. 117, ubi victricem non male cognominat ex nummo Auguſti inter Croyan. XI, 7, & Juliæ Domnæ apud Triſtanum tom. II pag. 126, niſi quod illic pro haſta tenet palmam. Sed prorſus hæc eadem occurrit in nummo Juliæ Titi cum inſcriptione VENUS AUGUSTA. Eſt eadem infra num. 219.

74 Mars Victor inſidens loricæ.

75 Juno Regina velut compeſcens bella ſceptro; aut circa ſe habens depoſita arma, inventa primum in ejus gratiam ab Phoroneo, ut narrat Higinus fab. 274.

76 Manus connexæ, unde prodeunt duæ ſpicæ, & in medio caduceus, ut ex concordia & fide ſignificetur exiſtere annonæ fertilitatem ac tranquillitatem. Quinimmo FIDES PUBLICA prorſus hoc modo exhibetur in nummo Titi.

77 Venus innixa columnæ, & altera manu haſtam, cujus mucro demittitur ad ſcutum projectum ante pedes, altera rotundum quid inſtar mali tenens. Victrix quidem ſine dubio, vel reſpectu mali, de quo num. 24, vel armorum, num. 73. Sed & Νίκη Ἀθηνᾶ teſte Harpocratione ἐν τῇ δεξιᾷ ῥοιὰν, ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κράνος ἔχει. Quinimmo & Milonis Crotoniatæ τὴν ῥοιὰν, ἣν ἐν τῇ χειρὶ κατεῖχεν, οὐδεὶς τῶν ἀντιπάλων ἑλεῖν ἐδύνατο.

το· ἡ δὲ ἐρωμένη αὐτοῦ ῥᾶστα αὐτὴν ἐξήρει ſcribente Æliano 11 Var. 24.

78 Æquitas Dea, de qua etiam in annulis num. 13.

79 Fæmina nuda inſidens trunco, cui & alteram manum imponit, altero pede orbem calcans, manu altera tenens fruticem. Si quid video, eſt hæc Venus in hortis.

80 Aquila ſertum ore tenens, ut victoriæ index prout in annulis num. 129, inſiſtens aræ inter duo ſigna, ut ibidem num. 161.

81 Auguſti caput, ſub quo bos capite ad terram reclinato, cum lituo, haſta & ſpica. Scilicet Auguſtus ſacra curans perinde ut annonam, & rem bellicam non negligens, ſed & ludos aut rem pecuariam obſervans.

82 Caput Herculis redimitum lauru.

83 Fæmina ſtolata, calathum frugibus plenum cum duabus ſpicis ita gerens, ut Fides publica in annulis num. 5, addito fulmine, ut ab aere dependere id totum declaretur.

84 Neptunus equitans equo marino, de quo num. 43.

85 Miles vel Mars armatus.

86 Mars nudus, galeam & haſtam tenens.

87 Equus contumax, & dejecto vectore aufugiens.

88 Duo hirci ſe invicem cornubus petentes prope vel ſupra ejuſdem generis animal humi jacens, & pugnam adſpiciens. Interpretatur Ovidius v Faſtor. 117 de Naide Cretenſi nympha.

Huic

Huic fuit hædorum mater formoſa duorum,
Inter Dictæos conſpicienda greges.

89 Mercurius iter faciens, ut ſertum ferat alicui ſeu homini, ſive Deo, ut idem iſte Mercurius imponit Fortunæ ſertum in gemma apud Anton. Auguſtinum tabula LXXI ante dialogos.

90 Mars Gradivus, vel Miles in agmine.

91 Gallinaceus, ut placuit Calenis, in quorum nummis frequens: etiam ſignatus in ponderibus, ut exſtat in tabula 14 Genefevæ.

92 Janus Geminus, ut ſæpe.

93 Inſignis comitas gallinacei, caput ſuum corvi pedi ſubmittens, ut fere num. 151.

94 Hercules ab pomo Heſperidum petito redux.

95 Mars iterum, aut miles galeam contemplans.

96 Fortuna præter ſolita inſignia gerens ramum lauri.

97 Gryphus impetum faciens, ut in nummis Αχζίων & Ιδαλέων.

98 Corvus in ara cum ramo lauri & cornu copiæ, de quo vide ad num. 3.

99 Gryphus marinus.

100 Cantharus utrinque anſatus cum operimento, qualis ſæpe occurrit in Bacchi ſacris, & ejuſdem prorſus figuræ apertus & effundens exhibetur in nummo ΥΡΚΑΝΩΝ apud Triſtanum tom. II pag. 562: deque cantharis ſculpi in gemma ſolitis agit Chifletius ad Abraxica num. 43 ex Clemente Alexandrino.

101 Sacrificium ex primitiis frugum, & ut videtur, ruſticum, adſidente tibicine, & dextras ſimul

ſimul ac ſiniſtras tibias inflante, perinde ut num. 209.

102 Fortuna & Nemeſis in unum junctæ.

103 Capra, ſive privati oblectamenti ergo, ſive reſpectu narrationum priſcarum de Macedonica capra duce Archelai apud Higinum fab. 219, aut quæ Lemniam terram ſignare ſolita, aut denique Amalthea. Triſtanus tom. 1 pag. 322 eam dat in nummo Domitiani cum literis PRINCEPS JUVENTUTIS. Alia jacens humi occurrit in gemma num. 244.

104 Boves in loco umbroſo paſcentes ad pacis pignus.

105 Hercules poſt occiſum leonem, cujus exuvias cum clava gerit, ad alia monſtra circumiens.

106 Herois, forſan Iole aut Dejanira, qualis in theſauro Palatino pag. 261.

107 Luna corniculans cum tribus ſtellis. Id vero egregie convenit cum nummo, in cujus altero latere eſt ſcriptum CΕΠΤΙ.... ΓΕΤΑCΚ. cum ejus effigie, in altero ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ cum hac ipſa figura; cujus notitiam debeo benignitati Viri Præſtantiſſimi Jacobi de Wilde, qui eum primus nuper publicavit.

108 Figura, ut videtur, fæminea ſedens nuda, ſed tenuem tamen & convolutam veſtem hic illic prætendens, tenens Palladium. Solet hic eſſe typus Nobilitatis.

109 Equus paſcens, qui frequens conſpicitur in nummis Alexandriæ Troadis.

110 Caprimulgus.

111 Corvus inſeſſor tripodis, poſita utrinque ſpica, quaſi fertilitatem præſagire indicaretur, de quo jam num. 3 & in annulis num. 10, & Pet. Scriverius ad Martialem pag. 199.

112 Sertum, in quo idem typus, qui occurrit in annulis num. 94.

113 Vir nudus altera manu tenens duas ſpicas, altera vergens vinum è patera in aram; videtur denotare agriculturam lætam per curam rerum divinarum, aut poſt coactas fruges pietati operam dare, Nam, ut Poëta monet, *Nudus ara, ſere nudus*. Bonus Eventus quidem ſic interdum exhibetur, ſed ſine ara.

114 Bacchus cum patera, unde Lynci videtur effuſurus ſua dona; ſed ut ſcalptori noſtro foret plenus veruſque lætitiæ dator, etiam ipſo Copiæ cornu ditatus.

115 Leo jacens cum ſuperimpoſita clava, vel ut typum fortitudinis præbeant, vel ut hæc iſtum domet. Sæpe idem in nummis Macedoniæ, Patin. p. 11. Etiam in nummis Meſſanæ, & Syracuſarum, niſi quod illic incedens exhibeatur.

116 Caprimulgus.

117 Minerva Opifera. ut Opis divina Pertinacis in Theſ. Pal. ſimilis Minervæ Fautrici, apud Triſtanum. 111, 160.

118 Fere ad inſtar num. 113.

119 Leones duo tergum proſtrati tauri morſibus petentes, ut in Κασσανδρέων nummo apud Goltzium tab: 24.

120 Miles ab militia revertens, & ex laſſitudine itineris

neris quieſcens, ex hoſte vix aliud deportans præter galeam, quæ duplex hîc apparet.

121 Genius, qui ſic paſſim in nummis.

122 Hercules caput ac tergum amictus leonina pelle, & clavæ innitens, qualis eſt nummus Thaſiorum apud Goltzium in inſulis tab. 13.

123 Vinitor, forſan primitias ſatis conſpicuas oſtentans, vel ad libamenta laturus. Adde in annul. num. 82.

124 Venator cuniculum deprehenſurus; & poteſt ipſe Orion eſſe.

125 Caput Martis.

126 Caput Romæ.

127 Capra paſcens ad tibiam, ut aſpicio, & mos erat. Nec enim hic paſtor ut Tityrus ſub fago cantat ſuam Amaryllida, ſed contulit ſe in locum, undè ſpeculari gregem queat, apertum ſcilicet. Macrobius lib. II in ſomnium Scipionis cap. 3. *Paſtoralis fiſtula paſtum progreſſis quietem imperet gregibus.*

128 Miles, ante quem extenſa manus, & quidem perſpicue dextera, ut colligatur eum miſſum, qui unius legionis dexteram deferret ad aliam. Sic in hac notabili ſcalpturâ videas illa Taciti 2 hiſt. 8. *Centurionemque Siſennam dextras, concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem* &c.

129 Caput virile, barba in acutum demiſſa.

130 Caput muliebre.

131 Boues jugati ad temonem vel inſtantis arationis cauſa, vel ad indicium coloniæ, ut ſæpe.

132 Corvus inſidens ramo lauri, ut fere in annul: num. 134, & item in gemmis num. 27.

133 Æſculapius.

134 Venus Cupidinem docens ſagittare, ſed ita, ut ipſa caveat ſibi ab ictu poſita retro: modo non ſit Leon. Auguſtini n. 116.

135 Fatidica, & forſan ipſa Themis, jactans horrentes comas, vel Baccha, ut apud Sponium p. 29.

139 Mercurius monti Atlanti inſidens, & ſe inde forſan demiſſurus, ut in nummo Commodi Miletopolitanorum exhibetur ab Bellorio poſt Symbolica Meneſtrei Dianæ Epheſiæ tab: 8.

137 Abraxas, etiam Chifletio citatus tab. 2 num. 7. ſed cujus cælator non debuit adeo ampliare clypeum, ut in literas ipſas incurreret, eaſque interſcinderet.

138 Claudii Cæſaris caput.

139 Hora, qualis apud Angelomum 195, 51. Anton. Auguſtin. in dialog. tab. 16.

140 Pax, tenens ramum, ſed demittens. Ut in nummo Gordiani apud Triſtanum, II, 473, & aliis poſterioribus, III, 418. Quies palmam utpote partam ſibi, tenet demiſſam ad ſolum; quum gloria oſtentet, vel labor monſtret acquirendam. An non tale quid conſiderari poteſt in ſtatu Herculis num. 227? Adde num. 60.

141 Salus.

142 Miles victor, ut Athleta Triſtan: I. 403.

143 Idem.

144 Mars in Zodiaco. Chifletius Abrax. tab. 20 n. 81. Sic & alii Dei.
145 Reginæ caput.
146 Cleopatra.
147 Ganymedes cornu effundens, cum haſta cui impoſitus videtur pileus.
148 Apollo feſſus ab venando, ut videtur, arboris trunco accubat.
149 Signa Romana victricia & felicia.
150 Aquila leporem aræ impoſitum laniat; ſic locus ſanctus inſerviit ſcelerato, ut ſæpe in nummis Agrigentinorum.
151 Ut 93, niſi quod hîc inſignia Deorum appoſita ſignificant præberi intelligendum ænigma ex opere & natura Apollinis & Mercurii, quorum hic magis exercetur in inferioribus partibus, ille in ſuperioribus & æthere.
152 Stella ſuper tripodem eſt in nummis Croianis XIV, 6 & 11. Nunc additur ales Phœbaeus, ut innuatur ſplendor & lux & veritas augurii.
153 Bacchans, vel ſatellitum Bacchi unus, ut in annul. num. 58
154 Roma ſedens victrix.
155 Victoria navalis vel tranſmarina, ut Judaïca Veſpaſiani Crojan. 30, 11.
156 Fortuna florens, ſed tamen à tergo adjunctam rotam habens, ut Fortuna Redux in Conſtantii nummo apud Triſtan. 3, 394. Adde n. 102
157 Martis caput.
158 Hercules ſacrificans. Id dicitur Hercules feciſſe in Oeta; ſed hic habitus non convenit:

ergo erit vel ut in Græcia Goltzii tab: 3 χαωνιτῶν, vel ut Tyrius apud Vaillant. tom. 11 pag. 69.

159 ERYX inter IV elementorum ſymbola, in quibus ſagittæ notant æthera, truncus arboreus terram, Delphinus mare, caduceus aëra magnitudine montis oſtendenda.

160 Navis roſtrata & longa, cui ſuperne eſt tridens, dominium maris interpretatura.

161 Ut num. 123.

162 Fluvii typus.

163 Chorea Gratiarum.

164 Gladiator vel miles, corollam lemniſcatam & cantharum cui nunc pedem imponit, ex victoria adeptus.

165 Salus, vel magis cum dracone ludens fæmina.

166 Venus pomum ERIDOS oſtentans, & hinc VICTRIX, ut in nummo Galeriæ Valeriæ Theſ. Pal. p. 365. An potius Proſerpinæ pomum videbitur, quod decerpſit arbore infernali apud Ovid. 5 Met. 536

167 Vultus Victoriæ.

168 Caput virile. Videtur eſſe Druſus Germanici filius ab Tiberio interfectus, plane ad nummum apud Vaillant. tom. 1 pag. 143.

169 Caput Liberi Patris.

170 Duo eruditi ſedentes in cathedris & diſſertando certantes velut ad aram Lugdunenſem, cujus mentionem fieri novimus ab antiquis, qui notabiliter hinc illuſtrantur.

171 Annona.

172 Augurium de aëris & terræ congruentia ad omnem fertilitatem.

173 Saluti ſacrificans fæmina.

174 Lignator, ſed verus, ut videtur, Eryſichthon, Dryadum interfector, aut Lycurgus vites excidens.

175 Felicitas publica in frugum & fructuum abundantia ac navigatione libera. Duo priora ſic oſtentantur etiam num. 622.

176 Neptunus vectus animali inſtar capræ, quod gubernat baculo naribus impoſito; ut in nummis Ἱμεραίων in Theſaur. Palat. 199 aliquis concham inflans aut eidem, aut ſimili invehitur.

177 Hadrianus.

178 Palladis caput.

179, & 180. Senilia Philoſophorum capita.

181 Pegaſus marinus ut num. 43; ſed alatus & volans ſupra tridentem, quaſi mari ſe exſerens.

182 Leo cum Gallinaceo, ſuper quem tranſilit; an ſimul decurrunt?

183 Pacis & Concordiæ typus, more ſolito.

184 Nominis ſalutaris nota cum α & ω, ut in nummo Magnentii Theſ. Pal. 375.

185 Jupiter in ſolio plenus majeſtatis; ſive ille *καταιβάτης* Triſtani in nummo Trajani, ſive Olympius aut Capitolinus.

186 Mercurius jam deſes ut videtur, inter homines; ac propterea poſito caduceo utraque manu tenens ſingula pocula, quæ alicui porrigit. An is eſt Ulyſſes, & per ea explanatur remedium Ulyſſi ab Mercurio datum contra Circen apud Higinum fab. 125?

187 Victor in ludis gymnicis, an gladiator victor, & jam rude donatus?

188 Cer-

188 Cerva, quæ interdum imago eſt ludorum ſæcularium ſub Philippo, interdum ſolis imago, nunc ſub ilice: atque ideo hæc libera & vaga in campo & ſaltu aperto, ſine nota captivitatis adhuc verſari videtur.

189 Ludicrum Circenſe, ita ut in eo miſſus appareat, perinde ut apud Fort. Licetum in gemma annul. quam habes hîc num. 520, & in nummo Trajani Crojano tab. xxxvi, num. 1.

190 Sphinx alata, ut ſæpe, typus Ægypti; vel alterius rei.

191 Sacrum Priapi, cui Satyrus ponit ſertum ac ramum; ad averſam ſtatuæ vel columnæ partem accedente Cupidine, & ad monſtroſæ rei conſpectum geſtiente; adſtantibus etiam gallinaceis, laſcivis pullis.

192 Pax arma comburens, ut in Crojan. 35, 21. 42, 11. cui ſimilis quoque nuper editus in ſpicilegio Antiquit. p. 54.

193 Cancer chelis deprehenſurus inſectum, ex Durmiæ gentis nummo.

194 Leo & aper jugati; utrum ex fabula Admeti apud Higinum fab. 50? an Adraſti apud eundem fab. 69? an denique ex nummo S. P. Q. R. quem Divo Trajano cudi voluerunt apud Triſtan. 1, 404?

195 Maris circumflui ac terræ felicitas.

196 Bellum navale ac terreſtre per equites, ex nummo Maximiani Crojan. 64, 10. vel notat trajectum.

197 Securitas Orbis, quem tenet innixus columnæ, ſagit-

ſagittam quoque in terra fixam habens. An victor in ludis Pythiis, in quibus dabantur mala, ut notum? Sed & Diana pomum tenet in nummis Cytheræorum Goltzianis tab. 3 inſularum.

198 Pax iterum, incendens arma.

199 Piſcis ignoti forma.

200 Caput externum.

201 Fæmina inſidens aræ, ac Terminum tenens; an duo oſcilla potius? Nam & quod à tergo eſt aut altero latere, non ſpica, ſed oſcillum videtur, inde exoriens, ut num. 273. Sed vix potuerunt hæc minuta veraciter excipi, ut in annul. 145 & infra 291. An igitur accedit aliquid ad feſtum in ortu Tauri, de quo Ovid. 5 faſt. 621.

Tum quoque priſcorum virgo ſimulacra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

202 Miles & fere ducum aliquis armatus, dextra tenens perticam, ac ſi exhiberet metatorem; non ſecus ac in nummo Memmii, ubi Ceres ſimile inſtrumentum tenet.

203 Aliquis tenens dextra duas ſpicas, læva cornu Copiæ, non ut humero extra innitatur, ſed ſubiens brachium propendeat: quod rarum. Sed occurrit quoque in annulis num. 152

204 Sacrificans nudus, exſtante haſtæ vel ſagittæ mucrone pone tergum & cervicem.

205 Solenne Bacchicum, quod publicavit Iſ. Caſaubonus in ſcripto de Satyrica Poëſi.

206 & 207. Muc. Scævola.

208 Sacrificium Salutis, non ſecus ac ſi ut oſcillum adhumanam effigiem arte ſimulatum, ut ſcribit Macrobius, Saturno adolebatur; ita hîc quoque aliud caput vicarium offerretur.
209 Sacrificium ex primitiis, concinentibus utriſque tibiis.
210 Aquila leporem adflictum terræ lanians.
211 Lynx cum thyrſo Bacchi, ut apud Leon. Auguſtin. part. 1 num. 180.
212 Miles ad Bacchanal ingeniculatus.
213 Victoria.
214 Videtur Antiochi Evergetæ, qui & Sidetes, caput.
215 Clypeati duo, ab poſtico urgentes togatum, alterius genu tangente puerulo. Sic opinor ſæpe contigiſſe in coloniis triumviralibus, ut duo clypeati vel militares irruentes in domum ac villam pagani togatique, eum hoc pacto urſerint ad migrationem & derelictionem rerum omnium, liberis identidem, ſed fruſtra, deprecantibus. Caſtores ſic interdum exhibentur, ſed hinc iſti alieni.
216 Volucris gracilis & erecta in longam tenuitatem.
217 Cupido procerior manum ad neſcio quid promittens.
218 Papilio.
219 Venus victrix, ut num. 73.
220 Caput barbatum & cirratum heroïco more; fere ut in Cæciliæ gentis tab. 3 num. 2.
221 In capite humano demonſtratio trium converſionum

ſionum hominis, primo juvenis, tum ſenis, poſt mortui.

222 Equus pedem ore ſcabens.

223 Biga noctis vel magis lunæ, ex bubus, qualem in luna Deliorum vidit publicavitque Goltzius tab. 17 inſul. in nummo Juliæ Domnæ ſub verbis Lunæ Luciferæ Triſtanus 2, 131, Caracallæ Patinus pag. 296. Sed & de ea ſcribit Harduinus pag. 217 num. illuſtr. Cæterum hic lapillus erat plenus artificii: quippe qui oblongus & in utraque extremitate niger, diſtinguebatur media linea alba, ſatis craſſa, quæ incipiebat illic, ubi caput lunæ prominebat, quaſi quod ſolum diſcuteret umbras terræ ac tenebras.

224 Hercules abjecta clava ſe parans, ut cum Leone congrediatur, vel ut ſuffocet, quod de Nemeæo dicitur, & exhibetur num. 442, vel ut rictu diducto occidat, ut infra num. 440. & apud Leon. Auguſtinum. Alioqui & clava occidit apud Triſtan. 2, 331.

225 Fæmina galeata cum clypeo prætenſo & haſta, forſan gladiatoriam operam editura.

226 Meſſor ſpicas demetens, ubi etiam patet Virgiliana nuditas agreſtium quo procedat, de qua jam ſupra, licet alibi prorſus ſint nudi.

227 Hercules indutus pelle humana, quam Antæo detraxit, & ad ſacrificandum, ut facit quoque num. 158, incedens; pateram fructibus plenam & ramum oleæ tenet, ut apud Triſtan. 3, 143.

228 Leo, in cujus rictu apis, ut in Leon. Auguſtin. part. 2, num. 35.

229 Immolatio gallinacei, vel ut fieret Æſculapio, ut in Theſ. Palat. 202, vel ut vinearum incolumitas procuraretur ritu Methonenſium, ibid. p. 191, vel ut Nocti eſſet ſacrum; nam *Nocte Deæ Nocti criſtatus cæditur ales*, apud Ovidium 1 faſt. 455. An ſenex libidinoſus ultimum gallinaceum immolat ex voto, ut reſtituantur vires? Sed multa de hoc in conjecturam cadere poſſunt.

230 Diana Epheſia.

231 Jocoſa aratio, aratore ape, & ſimiliter duabus aratrum ducentibus & jugo junctis.

232 Apes mella colligentes ex frutice.

233 Cupido viſcata virga tangens volucrem, ut apud Ovidium deſcribit Pythagoras, arbori inſidentem advolante ape. Adde num. 480.

234 Cupido velificans, ita ut cantharo pro nave utatur, fuſte pro antenna, ipſe pedem infimum veli comprimat ad antennam, cujus imam partem ad anſam canthari item comprimit: quum Iſis Βυζαντίων quoque velificans & rati inſiſtens ſummam veli partem teneat apud Triſtan. tom. 11 pag. 205. & alia tom. 1 pag. 392 & 507 & 606 in diverſorum principum moneta: tanquam ita crediderint navigationem primum peractam nondum inventis rudentibus, quum in annulis num. 83 aptarit rudentes. Neſcio an hæc ipſa gemma ſit, quam deſcribit Chiffletius in ſcripto de portu Iccio p. 46. *in ſarda veteri expreſſam habeo fæminam ſtolatam, quæ manu ſiniſtra velum prætendit* &c.

235 Ari-

235 Ariſtomachus apum ſpeculator, ut ipſe Bellorius explanauit, ubi apes cava ilice utuntur pro alveari.

236, 237. Regum externorum vultus radiati IV radiis; ad quorum tamen alterum accedit Victorinus junior. An Orientis, vel providentiæ typos dicemus? Quales ſunt in Triſtan. 1, 464 & 2, 162.

238 Reginæ vultus, ut videtur prima fronte. Sed tamen apud Triſtan. 1, 98 Maronitarum Dionyſus hinc non videtur alienus.

239 C. Cæſar ab Auguſto adoptatus, ut mihi videtur.

240 Caput calvum, ut Scythicum, quale habet Caninus tab. 21: in ima tamen parte ab poſtico gerens cirros, ſed minutos, & in facie barbatum, ita ut barba etiam propendeat ſubmiſſa. Hinc ego licet cum dubitatione pronuntio, ſervari hîc ipſam faciem Zoili, teſtante Æliano ac deſcribente XI ποικιλ. cap. 10. Ἦν δὲ τοιοῦτος. τὸ μὲν γένειον αὐτῷ καθεῖτο. κέκαρτο δὲ ἐν χρῷ τὴν κεφαλήν: ut hæc ſcalptura ſit quantivis pretii.

241 Commodus in juventute, vultu oblongo.

242 Victoria coronans victorem ex ludis, unde tenet pateram, quæ inter præmia, ut notavi ad Polybii librum VI.

243 Imperatoris concordia cum Senatu, ut in Crojanis tab. XIX num. 7 vel adoptio, ut ibidem XXXIV. Quin etiam pax Auguſta ſub Cajo ſic prorſus exprimitur apud Triſtan. tom. 1 p. 176.

244 Hircus vel capra pede dextro projecto jacens;

 utrum

utrum paſcentis & hinc tranquillitatis ſpecies: an eſt ipſa capella Homeri candida?

245 Lignator, ut videtur in ſcalptura ſatis tenui.

246 Gallinacei præſagium abundantiæ frugum & fructuum.

247 Idolum Ægyptium.

248 Cupido pedem dextrum imponens ardenti tedæ, quam utraque manu tenet, quaſi mediam fracturus.

249 Fortuna, ſed pileata, & reliqua ad graciles nimium lineas ducta.

250 Apollo citharam ab humero ſuſpenſam gerens, quaſi plectrum teneret dependens.

251 Cupido piſci ignoto inſiſtens.

252 Ignotus item piſcis.

253 Pallas, ſed ſuperiorem corporis partem nuda, Victoriolam porrigens, ut in ann: 27 & 136.

254 Miles armatus cætera, ſed non accinctus.

255 Imago ignota, dextram vel conchæ, vel fuſo innixa, ſiniſtra tenente figuram crucis, ut Canopo additur in nummo Ægyptio Hadriani apud Patin. pag. 197 n. 1.

256 Cupido arcui & ſagittæ pronus incumbens cum pharetra ad latus, etſi parum perite ſculpta.

257 Sellariorum aliquid, ut opinor. Sed neque impurus iſte Priapus veretur ſe ſiſtere licet averſum in oculis Alexandri apud Goltzium in Græc. tab. 32, & 37 Lyſimachi.

258 Caput arietis egregie cornutum, quale in nummis Coorum apud Goltzium inſul. tab. 22 n. 5 & 6.

259 Caput aquilæ licium roſtro tenentis; utrum animi gratia ſcalptor incidit qualecunque, an illud, quod innuit Ovidius 1 faſt. 732.

Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite,
Grata Jovi fulvæ roſtra videbis avis.

260 Caput Hadriani.

261 Vas cum duobus floribus, ludorum inſigne.

262 Aquila ſupina.

263 Folium platani.

264 Caput ornatum galea, magis cava, quam vulgo. Videtur eſſe ipſe Conſtantinus: barba autem, quæ in ſuperiore mento affingitur, eſt nulla in gemma.

265 Caput Victoriæ, ut ex alis in humero patet, quum & in Antonii nummis Lugudunum præferentibus in familiis Romanis tab. 5 ſic notetur.

266 Caput Jovis.

267 Caput Reginæ, mamma ſiniſtra exſerta, ut nonnunquam Amazones. Add. Caninus n. 16.

268 Reginæ caput egregie comptum.

269 Princeps Romanus. L. Cæſarem ſic efferunt nummi ſine receſſu frontis in confinio naſi. Vide Vaillant. tom. 1 pag. 85. Sed paſſim ſine laurea.

270 Antoninus Pius.

271 Alexander Severus, ut videtur.

272 Fæmina inſidens trunco arboris, unde ad innitendum ab poſtico unus procedit ramus, plane ut num. 24, ubi etiam ſimilem orbem dextra tenet. Tanquam ita declararetur ſellarum vete-

veterum ſimplicitas ſine arte.

273 Fæmina inſidens ſellæ ſatis fabrefactæ, cui pro fulcro tergi aliquid Hermæ ſimile adfixum eſt, ipſa tenente inſtar muſici inſtrumenti.

274 Aquila ſertum roſtro, ramum pedibus gerens, ut in annulis modo fulmen, modo aliud quid.

275 Caput Regis radiatum, altero oculo capti, certe obducti.

297 Mater, ut videtur, ex præſenti periculo ereptura ſeſe ac filium filiamve, ideoque medium amplectitur quaſi procurſura, & infimam ſtolæ oram ab poſtico levat. An eſt Ino cum Melicerta?

277 Gladiator.

278 Serpentum oſtentator, aut Pſyllus.

279 Dicas figuram eſſe Mæotici, non ferro dimicare ſoliti, ſed quos laqueo intercepit, trahendo conficientis, ut loquitur Mela lib. 1 cap: ult: etſi de fæminis.

280 Mercurius trunco inſidens; ex provenientibus à tergo ramis patet ficum eſſe.

281 Upupæ ſimilitudo, licet omiſſa ſit criſta vel eminentia in vertice ejus volucris oriri ſolita, in qua pietatis ſymbolum agnoſcunt.

282 Princeps Romanus facie nonnihil ad inſtar Othonis.

283 Jupiter ſedens cum fulmine, & aquila, & haſta, ut ſtans in annul: num: 158.

284 Mercurius, ut ex caduceo deberet colligi, ſed eum videmus alios interdum uſurpaviſſe; certe hic aliud quid videtur latere.

285 Figura ſimilis num: 272.

286 Gladiator victor & columnæ innitens, unde fortaſſe palmam detraxit.

287 Bacchus cum thyrſo, ſed muliebri amictu, tanquam ubi incederet vites provenirent.

288 Cithariſtria.

289 Regina. an Berenice? certe ex vultu ejus apparet, quod de iſta refert Tacitus 2 Hiſt. 8. *florens ætate, formaque, & ſeni quoque Veſpaſiano magnificentia munerum grata.*

290 Ubertas, fere ut num. 47 & 203.

291 Oleæ ramum ſiniſtrâ portans, ut eo habeat etiam caput evinctum, non ſecus ac ſpicæ in monili colli Pacis apud Triſtan. 1, 193.

292 Vetula; fortaſſis in quam ſe contulit Vertumnus procans Pomonam.

293 Meſſor jam plane nudus, ut in annulis num: 49.

294 Gladiatorum pugna cum nominibus, quam illuſtravit Marq. Freherus, & admiratus fuit P. Scriverius, ut docent notæ in Martialem.

295 Trebonianus Gallus.

Sequitur collectio gemmarum ab Joan. Chifletio facta in ſcriptis de Socrate, & Abraxa; easque ſic interpretatur

296, 297, 298 —— eſſe Socratis imaginem, geſtatam vel ornatus vel ſignandi cauſa, aut ad animi etiam ac corporis remedia.

299, 300 —— vultum Socratis & Alcibiadis.

301 ——— & Palladis, ex cujus collo dependere Melitum, Anytum, & Lycona.

302, 303, 304 ——— & Xanthippes.

305 ————— anſerem additum ex joco & ſimili-

***** tudine

tudine Socratis, qua uſus fuit ad Alcibiadem.

306, 307 ——— aquilæ aut olorum capita addita ob prædicatam earum volucrium ſolertiam.

308, 309, 310 ——— cum proboſcide, & palma, & vultu Xanthippes.

310 ---- item caduceo & capitibus Anyti ac Meliti.

311 ——— larvas eſſe, quibus Socrates in ſcena exhiberetur.

312 ——— coronatum velut ad pocula, quibus imaginariè interdum indulſerit.

313 ——— ſaltantem induci, quia ſaltationem probaverit: canem addi, per quem jurare fuit ſolitus apud Platonem.

314 ——— otioſe cum puero ludentem.

315 ——— habere junctum caput formoſum & calvariam, ut irriſorem vitæ & mortis.

316, 317 ——— varia addita, ſingula ad dotes Socratis exhibendas. Si tamen hæc credi poſſunt, quum videantur potius amuleta, & inter hujusmodi terriculamenta habitus fuerit vultus Socraticus. Utique non oportet dicere, hîc gallum gallinaceum eſſe junctis capitibus equi & arietis, ſed caput eſſe galli gallinacei cum pedibus & cauda ridicule compoſitum; item ridicule frenatum eſſe equi os, ubi nulla cauſa. Etiam quod de vite notat, id ſolummodo pertinet ad centuriones Romanos, nec folium vitis exprimere illud centurionatus inſigne poteſt.

318 —— Socratem & Platonem eſſe.

319 —— cum ſociis in carcere videri eſſe, tanquam adſit una domeſtica mulier, ſecunda ſeden-

dendo prolapſam virtutem queſta, tertia comœdia quaſi pœnitens; quartus quaſi lictor xi virorum flens.

320 — tardum Xenocratem aſino vectum.

321 — eſſe ſuperſtitionis veterum emblema, ubi ſacra fiunt Deo Termino; ideo ſacram arborem & lucernam adeſſe.

322, 323 — eſſe varias ſpecies Valentini & aliorum hæreticorum.

324. 325 — ſerpentipedes gigantas, qui adverſus Jovem pugnarunt. Quos cur huc retulerit Chifletius, non intelligo, quum in variis nummis illi ipſi ab civitatibus aut principibus ſint expreſſi: quum ſic Jupiter debellet giganta in nummo Maximiani, quem vulgat Theſaurus Palatinus. Utique & ipſa Pallas talis exſtat tum infra num. 489, tum in nummo Hadriani apud Patinum pag. 206. Neque in his Abraxæ aliqua fuit habita ratio.

326, 327 — ſolem cum luna effingere Abraxam.

328 — Abraxam ſub effigie viri coronati, equo inſidentis, & alati.

329 — tenentis flagellum ſiniſtra, pomum vel orbem dextra.

330 — cum flagello haſtam inter lunulas.

331 vide ad annulos num. 183.

332, 333, 334, 336, 338, 340, 344, 361. 404 . . . . Abraxam cum capite gallinacei, cum clypeo & flagello ſolis, nunc radiantem quoque, item adoratum.

335 — Cnephum eſſe collo ſerpentino, capite

 acci-

accipitris radiato corpore & pedibus Ibidis.

337 339, 341, 343, 349, 353, 357, 363, 365, 373. 377, 379, 381, 383, 385, 387, 409, 411, 412, 415, 417, 419, --- eſſe literas ad Abraxam pertinentes.

342 — Abraxam ſub capite accipitris, in quo ſolis ſimulacrum.

345 — Abraxæ amuletum, in cujus poſteriori facie Ibin habitu volantis, ſerpente divaricatis pedibus implicata cum adſtante Anubi. Sic quidem Chifletius. Sed ſi recte conſideres, in volucri nihil ſimile ad Ibin, cujus figuras affatim multas hic illic & modo ſupra habemus; non roſtrum, non collum, non corpus. Eſt eadem ipſa volucris, quam relatam videmus in eodem fere geſtu num. 407. nempe vera upupa, ut ſine dubio indicat criſta in vertice, qualem ipſe agnovit num. 384, etſi paulo longiore criſta inſignem.

346 — lacertam ab ciconia deprehenſam.

347, 348, 350 — corvos Apollinis & Coracina ſacra reſpicere.

351, 352, 354 — Abraxas item eſſe, temporis lapſum alis indicantes.

355, 370, 374, 376, 378, 380, 399, 402 —— loto, in qua herba notabiles ſolis vires, inſidentem, aut ea ornatum caput, ut 372, ſub forma Harpocratis.

356, 358, 360, 362, 364, 367, 368 —— Abraxam, hoc eſt, ſolem ſub leonis forma.

359 --- ſub hominis, portentoſis nominibus inſcripti,

pti, forma, cum clypeo, bidente & virga ſuper caput.

366, 369 —— Abraxam Phaneta cum ſidere Veneris.

375 —— Abraxam inſtar Liberi Patris, cum calice & capite radiato inſtar Solis.

382 —— poculum eſſe Marcoſiorum ſectæ fulmine impoſito præſtigiantis, & inde ſpondentis rerum omnium abundantiam, quam cornua copiæ appoſita ſignificent.

384 —— Horum, faſciis more Ægyptio involutum cum upupa, pietatem in parentes denotante.

386 —— Anubidis, id eſt, Mercurii, ob ſagacitatem canino capite ficti ſuperſtitionem.

388 —— gemmam luſoriam, ad jactum aleæ circumagi ſolitam cum Cynocephalo Iſidis.

390 -- Anubin adoratum ab nudo & prono homine.

391 — Mercurium κυνόμορφον, bicipitem cum duabus figuris ſupra canales binos vaſis Nilotici.

392 — Anubin cum baculo κηλομόρφῳ & enſe ad fæcunditatem & malorum depulſionem.

393 —— cum baculo in ſumma parte inſtar loti aperto; & gnomone, & ferula, ſiniſtra ſertum lemniſcatum, capite lunam cornutam gerentibus.

394 —— reticulata veſte pectus velatum & ſindone tectum cum ſitula, quam aqua repletam in ſacris geſtabant.

395 —— cum duobus baculis, ex quorum alterutro colus dependet, cum loti flore in capite.

396 — in imo Iſin plorantem ob perditum Oſiridem, deque eo recipiendo agentem cum Cynocephalo (voluit Anubi) ſiſtrato, cum cribro & capite anguis abſciſo, funiculi partibus compoſitis, & circino: in medio epulas cum ciſta, in qua Oſiris abjectus in flumen, ac piſce, leone, aſpide, tripode, gallo: in ſummo ſedere Iſin conſecratam, pedibus calcantem Typhona, cum duobus equitibus ſigna geſtantibus.

397 — figuram humanam, cum altero capite canino, palma & aſpergillo, gladioque velut demiſſo in collum ejus, qui exoritur, ad Mithræ ſacra denotanda.

398 — Hecateïa Baſilidianorum ſacra, & 401.

400 — cercopithecum cum ſtylo ſcirpeo.

403 — ſerpentarium contra venenum.

405, 406, 407, 408, 410, 416, 418, 427 — abſurditates partim gentilium in ſolis cultu ſub forma draconis, partim Gnoſticorum & Baſilidianorum in horrorem Chriſtianorum, qui columbis ſe ſimiles dicebant.

413, 420, 422, 424, 425 — Chnoubin, unum ex Decanis in Zodiaco, ſed qua figura abuſi ſunt Baſilidiani, capite leonis radiato.

426 Cholchnoubis item Decanus, capite humano cum ſeptem radiis & ſcorpionis cauda.

428, 429, 430, 431 Pater omnium, Termini imagine ab Simone mago ac Baſilide ſic commendatus, manibus in pectore decuſſatim poſitis.

423,

423, 432, 433, 434, 435, 436, 437, 438, 439. Baſilidianorum, & mox Priſcillianiſtarum errores de vi ſignorum cæleſtium & appoſitis angelorum nominibus.

440, 442 — Abraxam & ſolem cultum ſub Herculis virtute. Sed quod imperitos pictores cum Gevartio Chifletius apellat, errant. Utique pictores non definiunt de Nemeæo leone: unum leonem ſuffocavit, alterum diducto rictu occidit.

443, 444 — ſub Termini quoque figura, appoſitis ramis lauri, cui magnæ vires attribuebantur.

445 Laurus loco baccarum gerens tria capita Meduſæ.

446, 448, 450 — militem in Mithriacis ſacris dictum referri, modo tropeum capite geſtantem, modo inſiſtentem capiti Abraxæ gallinacei, nunc ſeparato utroque 451, nunc loto.

452 Abraxas ſub ſcarabæo.

453 Canopus.

454 Caput aſininum diffiſſurus

455 Aquilam magi inſculptam gemmæ avertere dicunt grandines & pruinas, &c.

456, 457 Scarabæi perforati geſtabantur

458 Canopus aqua Nilotica extinguens ignem Perſarum.

459 Hexagonum, literis ignotis conſcriptum. Volunt viri docti ſæpe Υγιειαν in eo notatam exſtare.

460 Juno cum haſta & patera quaſi ſacrificans; cum inſcriptione in averſo Gnoſtica, unde colligitur mixtura Gnoſticorum cum Romanis.

462 Apo-

462 Apotheoſis Romæ.

463, 465, Sarapis capite radiato & calatho & cornu.

464 Apotheoſis Lucii Veri.

466 Sarapis & Iſis, quibus ſæpe junctim templa.

467, 469, 477 Mercurius ab Romanis & Ægyptiis cultus, tanquam ſpiritus univerſi, & unica cauſarum cauſa.

468, 470 Harpocrates medius inter Iſin & Sarapin, modo alatus, modo ſine alis.

471, 472 Vultus philoſophi; & philoſophorum occultas imagines gerebant Carpocratiani; ideo perforatus.

473, 474 Ægyptii numinis facies, cum balſami ramo in averſo.

475 Amuletum bellicum, in quo duo coronati & armati, cum cancro & papilione, ſymbolis prudentiæ militaris.

478 Vir adſtans ante aram, ſacra facturus, ſed ita ut ipſe ſit ſibi tibicen, teneatque laurum impoſiturus aræ, ut in annulis num. 131

Sequitur collectio gemmarum ab Fortunio Liceto facta in ſcripto de gemmis annularibus, quas magnis quidem, ſed vereor ne alienis commentariis voluit exornare, ut adeo relictis illis rem ipſam contemplari nobis placeat.

Grammatici Græco hunc ἀλέκτορα nomine dicunt.
Invictum reddit lapis hic quencunque gerentem,
Extinguitque ſitim patientis in ore receptus:
Nam Milo Crotonias pugiles hoc præſide vicit.
Hoc etiam multi ſuperarunt prælia reges.
Hic *c* excuſſorum promptus ſolet eſſe reductor, *c expulſorum*
Acquiritque novos vetereſque *d* inſtaurat honores. *d reformat*
Hic oratorem verbis facit eſſe diſertum,
Conſtantem reddens cunctiſque per omnia gratum.
Hic circa Veneris facit incentiva vigentes,
Commodus *e* uxori, quæ vult fore grata marito. *e & dominæ.*
℞ At bona tot præſtet clauſus portetur in ore. *℞ aliàs Ut.*
Et *f* Geraniten vetus experientia laudat. *Geranites 4.*
Iſte colo niger, ſuperat virtute colorem: *f Hieraciten*

Quem prius abluto ſi quis geſtaverit ore,
Dicere mox poterit, quid de ſe cogitat alter.
Huic quoque ſemper ineſt imperatoria virtus.
Qua nequeat mulier quicquam prohibere petenti,
Cujus ſic virtus perhibetur poſſe probari:
Muſcis expoſitum corpus nudato gerentis,
Lactis commixto mellisque liquore perunctum,
Intactum cupido miraberis agmine linqui:
Si lapidem cultris, facto grege ſpicula figent,
Imbutamque cutem ſugent per vulnera mille.

¶ Jaſpis. 5. Jaſpidis eſſe decem ſpecies, ſeptemque feruntur.
Hic & multorum cognoſcitur eſſe colorum,
Et multis naſci perhibetur partibus orbis.
Optimus in viridi, tranſlucentique colore,
Et qui plus ſoleat virtutis habere probatur.
Caſte geſtatus * fugat & febres, & hydropem:
Appoſituſque juvat mulierem parturientem,
Et tutamentum portanti creditur eſſe.
Nam conſecratus gratum facit, atque potentem,
Et (ſicut perhibent) phantaſmata noxia pellit.
Cujus in argento vis fortior eſſe * probatur.

* febrem fugat, arcet hydropem.

* putatur.

Sapphiri ſpecies digitis aptiſſima regum,
¶ Sapphirus ſive Syrtites 6. Egregium fulgens, puroque ſimillima cælo.
a Inferior nullo eſt virtutibus atque decore.
Hic quoque Syrtites lapis à pleriſque vocatur,
Quòd circa Syrtes Libycis permixtus harenis,
Fluctibus expulſus, fervente freto reperitur.
Ille ſed optimus eſt, quem tellus Medica gignit,
Qui tamen aſſeritur nunquam tranſmittere viſum:
Quem natura potens tanto ditavit honore,
Ut ſacer & merito gemmarum gemma vocet ur.
Nam corpus *b* vegetum conſervat, & integra membra,
Et qui portat eum, nequit ulla fraude noceri,
Invidiam ſuperat, nullo terrore movetur.
Hic lapis (ut perhibent) educit carcere vinctos,
c Obtruſaſque fores, & vincula tacta reſolvit,

a vilior eſt

b vegetat

c Obſtructaſque

Placa-

Placatumque deum reddit, precibuſque faventem,
Fertur & ad pacem bonus eſſe reconciliandam,
Et plus quam reliquas amat hanc *a* Hydromantia gemman, *a* nigromantia † necromantia.
Ut divina queant per eam reſponſa *b* mereri. *b* moveri
Corporeis etiam morbis lapis iſte medetur:
Scilicet ardorem refrigerat interiorem,
Sudorem ſtringit nimio torrente fluentem,
Contritus *c* lacti ſuper illitus ulcera ſanat. *c* lateri.
Tollit & ex oculis ſordes, & fronte dolores,
Et vitiis linguæ ſimili ratione medetur.
Sed qui geſtat eum, caſtiſſimus eſſe jubetur.

¶ Chalcedon lapis eſt hebeti pallore refulgens. ¶ Chalcedonius 7.
Inter Hyacinthum medioximus atque Beryllum.
Qui ſi pertuſus digito, colloue feratur,
Is qui portat eum, perhibetur vincere cauſas.
Hæc ſpecies lapidis tantum tricolor reperitur.

Omne virens ſuperat forma viridante Smaragdus, Smaragdus. 8.
Cujus bis quinæ ſpecies binæque feruntur:
Sunt etenim Scythici, *d* Bractani, *e* Niliacique, *d* bactriani *e* maliciani
Sunt & qui venis naſci perhibentur in æris,
Quos maculis vitioſa notat natura metalli:
Sunt *f* Carchedonii: reliquos piget enumerare. *f* Chalcedonii.
Præcipuus Scythicis honor eſt, & *g* gloria major: *g* gratia
Gryphibus eripiunt ſervantibus hos Arimaſpi.
Quos viſus penetrat, famæ potioris habentur,
Quorum luce virens vicinus *h* tinguitur aër, *h* tangitur
Quos neque ſol mutat, nec clara lucerna, nec umbra,
Strata ſuperficies quibus eſt, vel concava forma
More jacentis aquæ vultum ſpectantis obumbrat.
His uſum ſpeculis teſtatur fama Neronem,
Cum gladiatorum pugnas ſpectare liberet.
Optimus his ſitus eſt, quorum ſunt corpora plana:
Commodus iſte lapis ſcrutantibus abdita fertur,
Cum præſcire volunt, *i* & divinare *k* per undam. *k* aut.
Auget opes *l* lapis hic ſeſe reverenter habentes, *l* futura
Omnibus in cauſis dans perſuaſoria verbs:

Tanquam facundi vis ſit ſermonis in illo.
Collo ſuſpenſus, durum fugat Hemitritæum,
a ſimili Et ſanare poteſt *a* ipſa ratione caducos,
b mulcedine Emendat feſſos viridi *b* medicamine uſus.
Et tempeſtates avertere poſſe putatur.
Fertur laſcivos etiam compeſcere motus.
c accenditque colorem. Proficit in viridem magis *c* exactumque decorem,
Ablutus vino, viridique perunctus olivo.
Chryſopaſius. 9. Aethiopum tellus lapidem Chryſopaſſion edit,
Quem tenebræ perdunt, occultant tempora lucis.
Noctibus igne micans, vaneſcit luce diurna.
Abſque nitore jacet auri pallore ſepultus.
d ſolitò nox more revelat. Hic quoque naturæ mutatus cernitur ordo.
Nam quem lux cælat, *d* ſubitò nox cæca revelat.
Sardius. 10. Sardius à ſardis eſt à quibus ante repertus
Sortitus nomen, rubri ſolet eſſe coloris,
Hic inter gemmas viliſſimus eſſe putatur,
Præter fulgorem cum nil ferat utilitatis,
Excepto, quod Onyx nequit hoc præſente nocere.
Huic quoque dat quinas ſpecies ſtudioſa vetuſtas:
Sardonyx. 11. Sardonychem faciunt duo nomina Sardus, Onyxque,
Tres capit ex binis unus lapis iſte colores,
e & hinc. Albus *e* in his nigro rubeus ſupereminet albo:
Iſtum diſtribuunt ſpecies in quinque magiſtri,
Sed qui tres puros impermixtoſque colores
Sic in ſe retinent ut diſtent limite certo:
His honor amplior eſt, & eorum forma probatur,
f coloris Denſior & raro plus fertur habere *f* decoris.
Hic ſolus lapidum neſcit convellere ceram,
Hic humilem caſtumque decet, vultumque pudentem,
Cujus virtutes alias reperire nequivi,
Partibus hunc noſtris Arabes; ſed & India mittit.
Onyx 12. A *g* collo ſuſpenſus Onyx, digitove ligatus,
g Et *h* Inſomnes lemures, & triſtia cuncta *i* figurat.
h In ſomno Multiplicat lites, & commovet undique rixas,
i repellit Dicitur & pueris nimias augere ſalivas,

Hanc

Hanc quoque dant nobis Arabes, dat & India gemmam.
Hæc etiam quinas ſpecies perhibetur habere,
Nomen ab ungue trahens Græci ſermonis in uſu:
Nam quos nos ungues noſtro ſermone vocamus,
Hos ὄνυχας patrio ſolet ille tenore vocare,
Sardius at præſens ſi ſit tibi, non nocet Onyx.
Auro Chryſolithus micat & ſcintillat ut ignis: Chryſolithus 13.
Iſte mari ſimilis *a* quiddam viroris adumbrans, *a* quoddam
Eſſe φυλακτήριον fixus perhibetur in auro,
b Nocturnos prohibet fortis tutela timores *b* Contra nocturnos fortis
Pertuſus ſetis ſi trajiciatur aſelli,
Dæmonas exterret, & eos agitare putatur.
Trajectum lævo decet hunc *c* geſtare lacerto. *c* ortare
Aethiopes legimus nobis hanc mittere gemmam.
Conſpicuos reddit ſexangula forma Beryllos, Beryllus 14.
Quod niſi fiat hebes his pallor ineſſe videtur,
d Eximiæ violæ ſimiles, lymphæue marinæ *d* Eximios oleo ſimiles
Eſſe volunt, & eos probat horum gnara vetuſtas.
Hic lapis ad noſtras partes deſcendit ab Indis.
Hic & coniugii geſtare refertur amorem,
Et ſe portantem perhibetur magnificare.
Dicitur & ſeſe *e* ſtringentis adurere dextram. *e* geſtantis
Infirmis oculis in qua jacet unda medetur,
Pota ſimul ructus ſimul & ſuſpiria tollit.
Et cunctos hepatis fertur curare dolores.
Iſtius eſſe novem ſpecies *f* voluere magiſtri. *f* dixere
Nominis ejuſdem Topazion inſula gignit: Topazius 15.
g Qui quo rarior eſt, tanto magis eſt precioſus. *g* Qui quanto rarus
Hic ſpecies tantum binas perhibetur habere.
Alterius puro color eſt vicinior auro,
Clarior alterius, tenuiſque magis reperitur,
Fertur hœmorrhoicis idem lapis auxiliari.
Quodque magis mirum, lunam ſentire putatur.
Feruentes etiam compeſcere dicitur undas.
Hunc Arabum gignit tellus ditiſſima gemmis.
Et Chryſopraſon lapidem domus Indica mittit. ¶ Chryſopraſus. 16.

a mixtumque colorem, *b* relucet

Hic porri ſuccum referens *a* mixtuſque colore,
b Aureolis guttis quaſi purpura tincta refulget.
Quas habeat vires nondum cognoſcere quivi.
Sed tamen eſſe reor: nec enim fas omnia noſſe.

Hyacinthus 17.

Hyacinthi ſpecies docti tres eſſe loquuntur:
Nam ſunt Granati, ſunt Citrini, Venetique
Confortativæ cuncti virtutis habentur,
Triſtitiamque fugant, & vanas ſuſpiciones.
Granatos præfert gemmarum quiſque peritus,
c rufus — His *c* ruffus color eſt, & rarius inveniuntur.
Cæruleus Veneto qui protinus aëra ſentit,
Nubilus obſcuro rutilans claruſque ſereno,
d depreſſior. — Optimus huic tenor eſt quem non *d* aut denſior æquo
Obſcurat ſuccus, aut rarus perſpicuum dat,
Sed flos purpureus mixtum componit utroque.
Hic & in os miſſus, plus frigidus eſſe probatur.
Duritie ſolida cædi, ſculpique recuſat,
Fragmentis tantum ſuperabilis eſt Adamantis.
Pallida Citrinos facies probat inferiores.
Sed quodcunque genus collo ſuſpendere poſſis,
Vel digito portes, terras ſecurus adibis.
Nec tibi peſtiferæ regionis cauſa nocebit,
Sed magis hoſpitibus cenſebere dignus honore,
Juſtaque ſi qua petes, nullam patiere repulſam.
Aethiopes nobis tranſmittunt hanc quoque gemmam,
Cum multis aliis, vitæ communis in uſus.

Amethyſtus. 17.

Purpureus color ac violaceus eſt Amethyſto,
Qui quaſi gutta meri, ſolet aut roſa munda videri.
Quidam marcidior, velut evaneſcit in album
Ut corruptus aqua vini rubor eſſe putetur.
India mittit eum, gemmarum maxima nutrix.
Hic facilis ſculpi, contrarius ebrietati,
Carus haberetur, merito ſi rarior eſſet.
At nunc negligitur, quando communis habetur.

Chelidonius 19.

Huic quoque dat ſpecies veterum ſententia quinque.
e aſt vel atque — *e* Et Chelidonius lapis eſt, quem gingnit hirundo,

Ventre

Ventre gerens pretium quo digna ſit ipſa necari,
Nec de fulgentum numero lapis iſte putetur.
Paruus & informis, ſed nulli viribus impar,
Præclaros quoſdam lapides præit utilitate.
Hujus ſunt geminæ ſpecies, geminique colores.
Nam niger & rufus, cæſo de ventre trahuntur,
Cedit geſtato lunatica paſſio rufo,
Curat & inſanos, & languores diuturnos,
Facundos facit, & gratos, multiſque placentes:
Ex lino facto decet hunc involvere panno,
Et ſic *a* in chela clauſum portare ſiniſtra. *a* ſub
At niger in panno pacto geſtatus eodem,
Ad finem dignum ſuſcepta negotia ducit.
Obſiſtitque minis, & regum mitigat iras,
Et dilutus aqua languentia lumina ſanat.
In croceo panno lini ſub tegmine texto
Ipſe lapis poſitus, febres extinguere fertur,
Et ſimul humores *b* expellere quoſque nocivos. *b* compeſcere
Naſcitur in Lycia lapis, & prope gemma Gagates, Gagates. 20.
Sed genus eximium *c* fœcunda Britannia *d* mittit. *c* longinqua *d* gignit.
Lucidus & niger eſt levis, & læviſſimus idem,
Vicinas paleas trahit attritu calefactus:
Ardet aqua lotus, reſtinguitur unctus olivo,
Prodeſt geſtatus tumidis intercute lympha.
Et dilutus aqua, dentes firmat labefactos,
e Cujus fumigium mulieri menſtrua reddit: *e* per ſuffumigium.
Accenſus *f* prodit fumi nidore *g* caducos: *f* prodeſt *g* caducis
Effugat immites ſimili ratione chelydros.
Idem dæmonibus contrarius eſſe putatur.
Everſos ventres juvat, & præcordia tenſa.
Vincit præſtigias, & carmina dira reſolvit,
Et ſolet (ut perhibent) deprendere virginitatem.
Prægnans potet aquam, triduo qua merſus habetur.
Quo vexabatur partum cito libera fundit.
Magnetes lapis eſt inventus apud Troglodytas, Magnetes. 21.
Quem lapidum genitrix nihilominus India mittit.

 Hic

Hic ferruginei cognoſcitur eſſe coloris;
Cui natura dedit vicinum tollere ferrum.
a Deecedon vel ededon *a* Dorendus Magus hoc imprimis dicitur uſus,
Conſcius in magica nihil eſſe potentius arte.
Poſt illum fertur famoſa venefica Circe
Hoc in præſtigiis magicis ſpecialiter uſa.
Hinc & apud Medos cum res veniſſet in uſu,
Detexit lapidis magis experientia vires.
b num Nam qui ſcire cupit ſua *b* ſi ſit adultera coniunx,
Suppoſitum capiti lapidem ſtertentis adaptet:
Mox quæ caſta manet, petit amplexura maritum,
Non tamen evigilans: cadit omnis adultera lecto,
Tanquam pulſa manu, ſubito fœtore coacta,
Quem lapis emittit, cælati criminis index.
Si fur clauſtra domus ſpoliis, gaziſque refertæ
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et ſupraſpergat Magnetis fragmina prunis,
Ut per tetragonum fumi calor alta vaporet:
Mentibus everſis velut impendente ruina
Diffugient omnes, in ea quicunque manebunt,
Et fur ſecurus rapiet, quæcunque libebit.
Conciliare poteſt uxoribus ipſa maritos,
Et vice converſa nuptas revocare maritis.
Gratia præſtatur, ſimul & Suadela per ipſum,
Sermoniſque decor, diſceptandique facultas.
Cum mulſo datus, hydropem purgando reſoluit,
Et combuſturas ſuperaſperſus medicatur.

Coralius 22. Coralius lapis eſt, dum vivit in æquore, vimen.
Retibus avulſus, vel cæſus acumine ferri,
c Aëre contactus *c* Aëre contacto fit durior, ac lapideſcit:
Quique color viridis fuerat modo, puniceus ſit.
Hic velut arbuſti ramuſculus eſſe videtur
Circa ſemipedem, vix longior inveniendus:
Ex quo finguntur geſtamina commoda multis,
Quippe ſalutaris geſtantibus eſſe probatur,
d (ut dixit) Illius eſt *d* (ut ait Zoroaſtres) mira poteſtas,

Et

Et ſicut ſcribit *a* Metrodorus maximus autor, *a Metrodorus optimus*
Fulmina, Typhônas, tempeſtateſque repellit
Arate, vel tecto, vel agro, quòcunque geratur,
Aut in vinetis aſperſus & inter oliva,
Aut à ruricolis cum ſemine jactus in *b* agris, *b agros*
Grandinis avertit calamis contraria tela,
Multiplicans fructus ut fertilitate redundent,
Umbras dæmonicas, ac Theſſala monſtra repellit,
Introitus præſtat faciles, fineſque ſecundos.
Aſt Aſiæ regio, quæ nomen habens Alabanda ¶ Alabanda Alabandina ſive Alabandicus. 23.
Fert Alabandinam, cujus lux æmula Sardi,
Judicis ambiguum de nomine fallit acumen.
Sed neque Corneolus lapides retinere libebit, Corneolus 24.
Qui licet obſcurum videantur habere *c* ruborem, *c colorem*
Non ſpernenda tamen his creditur inſita virtus.
Nam lapis hic digito colloue gerentis adhærens,
In diſceptando ſurgentes mitigat iras.
Quique lavaturæ carnis bonus eſſe videtur,
Sanguinis ex membro ſiſtit quocunque fluorem,
Præcipuè talem patitur ſi fœmina fluxum.
Ardentes gemmas ſuperat Carbunculus omnes: Carbunculus ſive Anthracites 25.
Nam velut ignitus radios jacit undique carbo,
Nominis unde ſui cauſam traxiſſe videtur:
Sed græca lingua lapis idem dicitur ἄνθραξ.
Hujus nec tenebræ poſſunt extinguere lucem.
Quin flammas vibrans oculis micet aſpicientum,
Naſcitur in Libya Troglodytarum regione.
Et ſpecies ejus ter *d* trinæ, treſque feruntur.
Vertitur in lapidem, quod ſtillat ab inguine Lyncis: Lyncurium 26.
Lyncurium vocitant, lapis eſt tamen hic precioſus:
Nam credunt ipſas hoc præſentiſcere lynces,
Quæ mox egeſtum properant operire liquorem:
Dum ſuperaccumulant congeſtæ pondus harenæ,
Scilicet invidia, ne noſtros cedat in uſus.
Electro ſimilem Theophraſtus habere colorem
Hunc ait, & ſimili paleas adducere pacto:

Affir-

Affirmans ipſum ſtomachi placare dolorem
a vigorem Ictericis etiam priſcum reparare *a* colorem,
Et perturbati compeſcere reumata ventris.
Aëtites, 27. Inter præcipuos lapides numeratur Aetites,
Quem petit extremis orbis Jovis ales ab oris,
Cuſtodem nidi, defenſoremque futurum.
Quo valeat pullis dubios avertere caſus.
Continet hic alium prægnantis more lapillum.
Creditur ergo potens prægnantibus auxiliari,
Ne vel abortivum faciant, partu ve laborent,
Appenſus lævo ſolito de more lacerto.
Confert præterea geſtanti ſobrietatem,
Auget divitias, & amari cogit habentem,
Victoremque facit, populique favoribus ornat,
Incolumes pueros dat vivere, ſive puellas.
Atque caducorum fertur *b* cohibere ruinas.
b perhibere vel ſedare. Si quis ſuſpectus tibi ſit de fraude veneni,
Tuque probare velis ſua num ſit iniqua voluntas,
Participem menſæ, quem formidas adhibeto,
Pulmento poſito, cui ſit ſubmiſſus Aetites.
Si fraus corde ſubeſt, tentans glutire nequibit:
Si tuleris lapidem, cupide guſtata vorabit.
Puniceum lapis hic memoratur habere colorem,
Oceanique latens in littoribus reperitur,
Aut aquilæ nidis, aut Perſarum regione,
Quem gemini, Pollux Caſtorque tuliſſe feruntur.
Necque Selenitem fas eſt omnino *c* ſilere
Selenites. 28. Qui velut herba virens, & Jaſpidis æmula gemma,
c Nec Lunares motus, & menſtrua tempora ſervat:
d tacere Creſcit enim luna creſcente, minorque minuta
e Quæ Efficitur, tanquam cœleſtibus anxia damnis.
Idcircò ſanctus lapis à pleriſque vocatur.
Dicitur eſſe potens ad amorem conciliandum,
Languentes etiam, Phthiſicoſque juvare putatur.
Toto geſtatus creſcentis tempore lunæ
Nec minus & toto per decrementa fluentis,

Effectu

Effectus miros, & commoda plurima præſtat.
Hanc autem gemmam memorant in perſide naſci.
At diverſicolor, quem dicunt Gagatromeum, Gagatromeus 29.
Pelli capreoli ſimilis lapis eſſe refertur:
Quem qui geſtarit dux pugnaturus in hoſtem,
Hoſtem depulſum terraque marique fugabit.
Iſtius Alcides ope multa pericula vicit,
Succubuit, quoties lapidem non ſuſtulit iſtum.
Ventorum rabie cum turbidus æſtuat aër, Ceraunius 30.
Cum tonat horrendum, cum fulgurat igneus æther,
Nubibus eliſus cœlo cadit ille lapillus.
Cujus apud Græcos extat de fulmine nomen:
Illis quippe locis, quos conſtat fulmine tactos,
Iſte lapis tantum reperiri poſſe putatur,
Unde κεραύνιος eſt Græco ſermone vocatus:
Nam quod nos fulmen, Græci dixere κεραυνόν.
Qui caſte gerit hunc à fulmine non ferietur,
Nec domus aut villæ, quibus affuerit lapis ille:
Sed neque navigio per flumina vel mare vectus,
Turbine mergetur, nec fulmine percutietur:
Ad cauſas etiam, vincendaque prælia prodeſt,
Et dulces ſomnos, & dulcia ſomnia præſtat.
Huic binæ dantur ſpecies, totidemque colores,
Cryſtallo ſimilem Carinaria mittere fertur,
Cæruleo tamen infectum rutiloque colore:
Mittit & Hiſpanus, regione manens Luſitana
Flammas ſpernentem ſimilemque colore Pyropo.
Ex re nomen habens eſt Heliotropia gemma, Heliotropia 31
Quæ ſolis radiis in aqua ſubjecta batillo,
Sanguineum reddit mutato lumine ſolem,
Eclipſimque novam terris effundere cogit.
Denique poſt modicum vas ebullire videbis,
Aſpergique foras ſubitæ ſcaturiginis imbrem:
Ut fit, cum nimbos diſtillat turbidus aër.
Se quoque geſtanti dat plurima vaticinari:
Imbres de cœlo vocat aſtringitque ſerenum,

a prædicere. Atque futurarum quædam *a* prænoſcere rerum,
Hoſque bonæ famæ, quibus eſt data, laudibus ornat,
Servat & incolumes producens tempora vitæ:
Sanguinis aſtringit fluxum, pellitque venena,
Nec falli poterit, lapidem qui geſſerit iſtum.
Tot bona divino data ſunt huic munere gemmæ.
Cui tamen amplior iis conceſſa potentia fertur:
b jungatur. Nam ſi *b* cingatur ejuſdem nominis herba,
Carmine legitimo, verboque ſacrata potenti,
Subtrahit humanis oculis quæcunque gerentem.
Hanc nunc Aethiopes, nunc Cyprus & Africa mittit.
Sanguinis aſperſam guttis, ſimilemque Smaragdo.

Hephæſtites ſive Epiſthites 32. Naſcitur in bimari precioſior ære Corintho,
Dictus Hephæſtites, rutilans lapis & rubicundus:
Qui ſi ferventi fuerit conjectus aheno,
Ignibus exultans prius, ilico ſiſtitur unda,
Frigida poſt modicum lapidis virtute futura.
Fructibus à terræ volucres arcere locuſtas,
Et nebulas ſteriles, & grandinis improba fertur
Verbera, nec turbo (quos protegit iſte) nocebit.
Ad ſolem poſitus, radios emittit & ignem,
Mirantes oculos perſtringens luce choruſca.
Accenſas idem compeſcit ſeditiones,
Et tutum ſervat dubia ſub ſorte gerentem:
Pectore ſed memori fixum teneamus oportet,
Qua cor parte jacet, lapides hos eſſe gerendos.

Hæmatites 33. Sumpſit Hæmatites Græcum de ſanguine nomen,
Naturæ lapis humanæ ſervire creatus,
Stiptica cui virtus per multa probatur ineſſe:
Nam palpebrarum ſuperillitus aſperitatem,
Et viſus hebetes pulſa caligine ſanat.
c Ejus ramentis. *c* Hujus fragmento ſi glarea mixta ſit ovi,
Succo dilutus, quem punica mala remittunt,
In medicinali veluti collyria cote,
Vel reſolutus aqua juvat hos, qui ſanguinis ore
d curat. Spumas emittunt, & quæ linit ulcera *d* ſanat.

Pota,

Potatus ſtringit patitur quem fœmina fluxum.
Carnes creſcentes in vulnere pulveris hujus
Vis premit, & ventrem redimet ſine more fluentem.
Vino dilutus veteri, bibituſque frequenter,
Serpentis morſum, vel quod fit ab aſpide vulnus
Egregiè *a* ſanat, reſolutus aquis & inunctus: *a* curat.
Mixtus melle poteſt oculos ſanare dolentes.
Veſicæ lapidem bibitus diſſolvere fertur.
Hic ferrugineo ruffove colore notatur.
Africa mittit eum, ſed & Aethiopes Arabeſque.

Archadiæ lapidem tellus producit *b* Abeſton Abeſtos 34.
Ferreus huic color eſt, naturæ mira poteſtas. *b* Ebeſton.
Nam ſemel accenſus conceptos detinet ignes,
Extinguique nequit, collucens perpete flamma.
Hinc & apud Græcos *c* Asbeſton dicitur inde, *c* Ebeſton.
Quòd ſemel accenſum, jam non extinguere poſſes.

Gignitur in Macedum regione lapis Pæanites, Pæanites ſive Pæantis 35.
Fœminei ſexus referens imitando labores,
Sed quibus ex cauſis dubium: nam tempore certo
Concipit, & parit, & parientibus auxiliatur,
Ultima quas *d* urget dubii diſcriminis hora. *d* vexat.

Difficilis gemmas ſuper omnes Sagda repertu, Sagda 36.
Nunquam ſciretur, niſi ſe daret inveniendam:
In medio ſiquidem *e* natus lapis iſte profundo, *e* incautas.
Naves vi quadam petit è regione meantes,
Et prælabentis tabulis hærendo carinæ,
Ad portum *f* trahitur maris, ignaris data nautis. *f* vehitur.
Eſt autem morſu tabulæ ſic fixa tenaci,
Quod nequit abraſa ligni ſine parte revelli.
Huic praſius color eſt, regio Chaldaica tellus.

Aſt in Medorum regione lapis reperitur, Medea ſive Medus. 37.
Quem *g* Medum vocitant, mortis dator atque ſalutis. *g* Medeam.
Nanque ſuper cotem mulieris lacte ſolutus,
Quæ ſemel atque marem peperit perſanat inunctus
Viſu fraudatos multo jam tempore cæcos:
Cos medicinalis, viridis ſolet eſſe coloris.

Lacte ſolutus ovis, ſemel atque marem parientis,
Expellit veterem ſimili ratione podagram,
Et feſſas reficit ſub anhelo pectore fibras:
Hoc & nephritici ſaneſcunt unguine renes,
Debet in argento mixtus vitrove reponi,
Jejunoque dari, ſic utile ſit medicamen.
At reſolutus aquis cotis ſibi fragmine mixto,
Et porrectus ei tibi quem decreveris hoſtem,
Ut lavet inde ſuam, quaſi pro medicamine frontem,
Obducet miſeros extincto lumine vultus:
Si potum dederis vomito pulmone peribit,
a ingrata Hic totus niger eſt, ſed non *a* eſt nigra poteſtas:
Candida, dum prodeſt, dum lædit, nigra vocetur.

Chalazia 38. Eſt quæ candorem fert grandinis atque figuram,
Ictibus omnimodis invicta Chalazia gemma.
Ejus naturæ vis tanta probatur, ut omni
Tempore frigida ſit, nulloque caleſcat ab igne.

Hexecontalithos 39. Hexecontalithos lapis ex re nomen adeptus,
Quod ſexaginta modico gerit orbe colores:
Corporis exigui numero diſpendia ſupplet.
Dum tot gemmarum fert gemmula ſola decorem.
In Lybia lapis hic reperitur apud Troglodytas.

Chelonites 40. Indica teſtudo lapidem mittit Chelonitem,
Gratum, purpureo varioque colore nitentem:
Quem ſi ſub lingua, loto quis geſſerit ore,
Poſſe magi credunt hunc divinare futura,
Orto mane die ſextam duntaxat ad horam,
Tempore quod lunæ ſuccreſcere cernitur orbis.
Sed luna prima, lapidis prædicta poteſtas
Totius fertur ſpatio durare diei.
b primæ Quintæ poſt decimam concordant tempora *b* lunæ:
At decrementi lunaris tempore toto
Ante diem tantum lapidi manet illa poteſtas.
Eſt etiam nulli lapis hic obnoxius igni.

Praſius 41. Conſpicuis Praſius gemmis ſolet annumerari,
Sed non eſt carus: contentus quippe decore,

Utile nil affert: niſi quod viret, & decet aurum.
Altera ſanguineis ſpecies eſt illita *a* venis, *a* guttis.
Tertia candidulis tribus eſt inſcripta *b* lituris. *b* figuris.
Cryſtallus glacies multos durata per annos, Cryſtallus 42.
Ut placuit doctis, qui ſic ſcripſere, quibuſdam.
Grandinis antiquæ frigus tenet atque colorem:
Pars negat, & multis perhibent in partibus orbis
Cryſtallum naſci, quas nec vis frigoris ulla,
Nec glacialis hyems, unquam violaſſe probatur.
Sed certum cunctis, nec ſtat dubitabile cuiquam,
Quod lapis hic ſoli ſubjectus concipit ignem,
Admotoſque ſibi ſolet *c* hic accendere fungos. *c* hinc.
Hunc etiam quidam tritum cum melle propinant
Matribus, infantes quibus aſſignantur alendi,
Quo potu credunt implerier ubera lacte.
Nec minus & cineri ſimilem Galactida dicunt, Galactis ſive Galactites 43.
Cum mulſo tritum, lac multiplicare bibenti:
Si tamen antè cibos fuerit poſt balnea ſumptus,
Aut ovis ex gravidæ lana traducere filum
Pertuſo lapidi decet, & circundare collo,
Sic ſe portantis fœcundet ut ubera lacte.
Dat facilem partum ſimili ratione ligatus
Ad femur illius, quæ parturiendo laborat.
At ſi mundato circumſpargatur ovili,
Cum ſale mixtus aquæ, ſolis redeuntis in ortum,
Lacte replentur oves, ſcabieſque fugatur ab illis.
Præterea tantis veteres hunc laudibus ornant,
Ut bona cuncta putent ſolum præſtare gerenti,
Quæ ſimul à reliquis cuncta virtute darentur.
Sed turbat mentem, ſi clauſus in ore liqueſcat.
Hunc mittit Nilus, producit & hunc Achelous,
Lactis dat ſuccum tritus, lactiſque ſaporem.
Lætiferos morſus niger atque rotundus Orites, Orites 44.
Quos fera, vel cornu, vel ſævo dente peregit,
Cum roſeo mixtus perfectè curat olivo.
Per vaſtas heremos, interque feras gradientes

 Illæ-

Illæſos ſervat, morſus abigendo ferarum;
a Hic *a* Qui viret, & maculas albas habet, alter Orites
Caſibus adverſis portatus ubique reſiſtit:
Tertius afferitur famæ gravioris Orites,
Altera pars cujus crebris nimis aſpera clavis,
b Corpus. Altera lævior eſt, *b* duri quaſi lamina ferri.
Hic facit appenſus ne fiat fœmina prægnans:
Aut ut ſi prægnans fuerit, cito fundat abortum.

Hyænia 45. Tollitur ex oculis lapis extollendus Hyænæ,
Dictus Hyænia, quam veteres (ſi credere dignum)
Fatidicum numen memorant inferre gerenti,
Quò queat imbutus prædicere quæque futura,
Sub lingua lotus ſi contineatur in ore.

Liparæa ſive Liparis 46. Partibus in Lybicis lapis eſt *c* Liparæa vocatus,
Ad quem ſponte ſua properat genus omne ferarum,
c Liparis vocitatus. Quas venatorum ſuevit labor exagitare.
Non eget ergo canum curſu, curave ſagaci,
Saltus perluſtrans, lapidem qui geſſerit iſtum:
Sternendæ ſatis eſt venabula tollere prædæ.

Enydros 47. Perpetui fletus lachrymis diſtillat Enydros,
Quæ velut è pleni fontis ſcaturigine manant,
Cujus naturæ grave ſit deprendere cauſam:
Nam ſi decurrit lapidis ſubſtantia, quare
Non minor efficitur, vel non omnino liqueſcit?
Sin ros exterior deſcendit ad interiora,
Ut ſemper refluat, cur ſe non impedit ipſum,
Scilicet ingrediens contrarius egredienti?

Iris 48. Irin dant Arabes, ſed gignit eam mare rubrum
Cryſtallo ſimilem, cujus ſexangula forma
Clara luce micans, fert cauſam nominis hujus:
Nam ſi ſub tecto radiis ſit ſubdita ſolis,
† Proximus inficitur paries, varioque colore
Arcus cœleſtis depingit utrinque figuram.

Androdamas 49. Androdamanta (lapis formæ quaſi teſſera quadræ)
Dicunt argenti repræſentare nitorem:
Cujus durities quaſi durities Adamantis.

Ipſe

Ipſe maris rubri mixtus reperitur harenis.
Quem Magus affirmat tantæ virtutis haberi,
Ut poſſit præſens animos ſedare calentes.
Avertens oculis morbos Ophthalmius omneis
Aſſeritur furum tutiſſimus eſſe patronus, Ophthalmius 50.
Ac circunſtantes obducta nube patronus,
Ut ſpoliare domos poſſint impune latrones.
Tollitur è conchis ſpecies memoranda marinis, Unio 51.
Unio dictus ob hoc, quòd ab una naſcitur unus,
Nec duo, vel plures unquam ſimul inveniuntur.
Cujus ad ornatum laudatur candida forma,
Quòd deceat veſtes, deceat nihilominus aurum.
Conchæ temporibus certis referuntur hiantes
In cœlum, patulæ rores haurire ſupernos,
Ex quibus orbiculi candentes concipiuntur:
De matutino fit clarior Unio rore.
Ros veſpertinus fœtus ſolet ædere fuſcos,
Et juvenes conchæ dant baccas candidiores,
Obſcurat fœtus *a* concharum grandior ætas. *a* Baccarum.
Quanto rorantis fuerit plus aëris hauſtum,
Tanto majorem gignit roratio baccam.
Ultrà ſeminucem *b* concreſcere nulla putatur. *b* ſed creſcere.
Quòd ſi celſa micent tonitru convexa coruſco,
Conchæ diffugiunt ſubita formidine clauſæ.
Sic intercepto conceptio deperit hauſtu,
Et fit abortivum, quod cœperat inde creari.
Inſignes baccas prædam maris India *c* gignit, *c* mittit.
Gignit & inſignes antiqua Britannia baccas.
Pantheron multos teſtantur habere colores:
Nam niger & rubeus, viridis, pallenſque videtur, Pantherus 52.
Purpureus, roſeuſque ſimul ſparſique coloris.
Hos habet, & vario diſtinctus ſchemate vernat:
Expedit hunc orto quàmprimum ſole videri,
Ut victor poſſis omnes exire per actus:
Ipſo nanque die poterit te vincere nemo.
Pantheram patet eſſe feram diverſicolorem,

India quam gignit, cujus pavefacta leonum
Voce fugit rabies, quam beſtia contremit omnis:
Hujus ad exemplar ſic eſt lapis iſte vocatus.
Apiſtos 53. Apiſtos nigri non ultima gemma coloris,
Ad gratam ſpeciem rubeis interlita venis,
Pondere majoris menſuram corporis æquat.
Hanc, ſemel admoto ſi ceperit igne calorem,
Teſtantur calidam ſeptem durare diebus.
Chalcophonos 54. Chalcophonus pulſata refert tinnitibus æra,
Qui ſi tractetur reverenter corpore caſto,
Vocis dulce melos ajunt conferre gerenti,
Et ne raucescant, liquidas defendere fauces
Hic etiam nigrum perhibetur habere colorem.
Molochites 55. Infantum cunas virtute ſua Molochites
Protegit, & caſus abigit quoſcunque ſiniſtros,
Ne teneros artus pars poſſit iniqua nocere.
Dat lapidi precium virtus cumulata decore:
Craſſum quippe virens ſimilis ſolet eſſe Smaragdo,
Hunc Arabum gentes prius inveniſſe feruntur.
Tecolithus 56. Tecolithos nucleo ſimilis perhibetur olivæ,
Aſpectu vilis, naturæ vi precioſus.
Namque ſolutus aquis, & ab his quibus expedit hauſtus,
Dicitur eſſe potens, lapidoſos ſolvere renes,
Veſicæque ſimul purgare dolentis harenas.
Pyrites 57. Cui fulvus color eſt, cui nomen ab igne Pyrites,
Se vetat aſtringi, pertractarique recuſat,
Tangi vult leviter, pavidaque manu retineri,
Nam preſſus, nimium digitos ſtringentis adurit.
Diadochos ſive Diadocus 58. Diadochos per quàm reſponſa petentibus aptus,
Dæmonis effigies varias oſtendere fertur,
Nec lapis eſt alius, qui fortius evocet umbras,
Sed ſi defuncto quis forſitan applicet illum,
Protinus aſſeritur ſolitas amittere vires:
Namque ſacer lapis eſt, & quæ mórs ſternit, abhorret,
Hunc autem perhibent ſimilem fulgore Beryllo.
Dionyſius 59. Nigra micat rubeis Dionyſia conſita guttis:
Hanc

Hanc in aqua tritam vinum flagrare loquuntur.
Et tamen ebrietas ipſius odore fugatur,
In quo naturæ ſolito nihil ordine currit,
Dum lapis ex lympha vini producit odorem,
Quamque creare ſolet vinum fugat ebrietatem.
Aſt *a* Chryſolectrus ſimilis deſcribitur auro, Chryſelectrus. 60.
Cujus ad electrum color inclinare videtur.
Hic matutinis viſu jocundior *b* horis,
Diſſimilem ſpeciem poſt aſpicientibus offert,
Cujus materies rapidiſſima dicitur ignis:
Nam cito vicino correptus flagrat ab igne.

a Chryſelectrus *b* auris

Anulus ut gemmam digitis aptandus haberet, De anuli lapidumque repertore.
Dicitur in primis feciſſe Prometheus uſum,
Caucaſeæ rupis quem fragmina *c* lucida ferro.
Incluſiſſe ferunt, digitoque recepta tuliſſe.
Aetas poſterior junxit præcioſa metalla,
Et lapides caros adiecit, & inſuper artem
Inſuetamque manum triplici veſtivit honore.
Sed fraus intactum quia nil humana relinquit.
(Invida naturam dum ſcilicet ars imitatur)
Veras à falſis labor eſt diſcernere gemmis,
Callida quas didicit *d* vitro ſimulare doloſo,
Dum veram ſpeciem mentitur adultera forma.
Inde ſit ut virtus gemmarum nulla putetur,
Ignaros quoties tentata probatio fallit.
Sed veras ſpecies (fuerint ſi rite ſacratæ)
Effectus miri procul ambiguo comitantur.

c ſcrupæ *d* vultu

MARBODAEI SIVE POTIUS INcerti autoris verſus aliquot hactenus deſiderati.

CApnites ſpecie cryſtallinus optima gemma, Capnites.
Facundos faciens, curanſque potenter hydropem,
Magna ſui gerulis eſt virtus & medicina.
Reddit formoſos, & cunctas mitigat iras.

Pellit & ipſe metus, ſit gratia ſe comitanti.

Ophthalmius. Magna ſalus oculis Ophthalmius eſſe probatur:
Sed fures utuntur eo, & quos nemo tenere
Hoc preſente poteſt, cur hoc ſit, noverit autor.

Obſianus. Obſianus lapis eſt, incerta repellere ſemper
Somnia qui potuit, ſecurus eo comitante,
Qui dormire poteſt, non illum ſomnia fallunt.

Ignites. Ignites lapis eſt, cui ſubvitreus color eſſe
Cernitur, & mundus, qui fluxum ſanguinis omnem
Stringere conſuevit, tantum ſit fronte ligatus.
Infirmos aliena loqui vetat hæc quoque gemma:
Verrucas, nœvoſque fugat, Stygeſque malignas
A pueris arcet, quorum ſitiere cruorem.
Conflagrare vides incendia forte domorum,
Si tamen hunc adhibes, incendia ſponte quieſcunt.

Diadochos. Diadochos ſpecie, ſimiliſque colore Beryllo,
Plus omni ſpeculo probat effigies ſpeculantum:
Et nullus lapidum tantum medicatur aduſtis.
Hic ubi defunctis adhibetur, ſiſtere fertur
A virtute ſua, ſit hebes, neque lenit aduſtos.

Exebenus. Exebenus lapis eſt albus, ſatis & ſpecioſus.
Hac gemma manus aurificum dum lympidat aurum,
Nil magis appreciat, nil illi charius illa.
Hæc valet ad ſtomachum, ſi ſit conſperſio facta
Cum vino vel aqua fractæ de pulvere gemmæ.
Novit & Exebeni vires inſanus & amens.
Conſervat partum, citò liberat & parientem,
Si dextro femori connexus erit parientis.

Lingurus. Lingurum prægnans, lingurum ſi gerat infans,
More ſuo minus ut timeant, lingurus habebit.
Regius & morbus linguro vincitur hauſto,
Si teris in vino permixto pulvere gemmæ.

Daphnius. Daphnius eximius facit ut lymphaticus omnis,
Se præſente ſtatim mereatur habere ſalutem,
Daphnius aſſuevit requiem dare dæmonioſis.
Daphnius ad fluxum valet & compeſcit hydropen.

Men-

Mennonius morbos, languores atque tumores,
Virtus & omne fugans, inimicitiaſque repellens,
Facundum reddit, firmum facit atque fidelem,
Quenque ſui gerulum: vicerunt prælia reges,
Evaſere necem cauſis capitalibus acti,
Præſide Mennonio, quem qui gerit effugit iras.
Navita naufragium nunquam timet hoc comitante.

Mennonius.

Ipſa Galactiten lapidem natura vocavit,
Hoc à facte trahens Græcum ſimul atque Latinum,
Lac utrunque ſanans, in eodem nomine junges.
Nanque γάλαξ Græc, lac dicimus eſſe latine,
Fœmina deficiens à lacte, per hanc ſibi gemmam
Lac ſuffire poteſt, cum mulſo pulvere ſumpto.
Contriti lapidis ſi fœmina reſpuit hauſtum;
Vellus ovis gravidæ colló circumliget illa,
Sic galactites ſuper udo vellere ſparſus,
Mox plenis puer uberib. lac ſugere quibit.

Galactites.

Odontem lapidem ſi quis venator habebit,
Si latro, ſi raptor lapidem geſtaverit illum,
Pro votis ſuccedet eis: quanquam pietatis
Officiis careat, nec erit culpabilis actor
Naturæ lapidumque deus, qui nil ſine cauſa
Efficit in rebus, cujus ſunt omnia facta
Ponderis & numeri manſuræ ſubdita legi.

Odontes.

Frons onagri vel frons, aſini plerunque tumeſcens,
Fert lapidem quandoque ſuum, qui pota venena,
Atque venenoſos fertur compeſcere morſus.
Hunc in aqua radens, ut aquam pallere videbis,
Mox evaſuro dare ne tardes patienti.
Hunc nuce majorem forma criſpante videbis,
Atque ſuperficie palleſcere non renitere.

Lapis qui fronte naſcitur aſini.

Irim cæleſtem tricolor lapis eſt imitatus,
Nomine Triſutes, juris facit eſſe peritos
Iſte ſui gerulos, regum digitos decet ergo.

Triſutes.

Naſcitur in Phrygia phrygius, ſed hic eſt quaſi pumex,
Pumice ſed gravior: facit hunc perfuſio vini

Phrygius.

Follibus afflatum procul ignis viribus uri,
Et velut ignitum candeſcere ſive rubere,
Fertur & extingui perfuſus nectare tantum:
Utilis iſte lapis tingendis veſtibus eſſe
Dicitur à Phrygiis fullonibus, hiſque peraptus.

Sarcophagus. Sarcophagus lapis eſt, qui mortua corpora fertur
Ferme quater denis conſumere poſſe diebus.
Hujus apud Trojam reperitur plurima vena.
Ejuſdem generis ſunt plurima ſaxa reperta,
Quæque etiam erodunt viventia corpora tactu,
Et minus obſervant, quæcunque cadavera claudunr.

Specularis lapis. Copia dat vilem, licet inſignem Specularem:
Hunc primum lapidem terris Hiſpania miſit,
Nunc legimus multis Regionibus hunc reperiri,
Hic effoſſus humo, ſic fiſſilis extenuatur
Quas libet in cruſtas, ut vitro tenuior omni
Cernatur, neque jam niſi vitrum credere poſſis.

FINIS.

LIBRI QUI APUD PETRUM VANDER AA VENALES PROSTANT.

L'*Utilité des Voyages, qui concerne la connoiſſance des Medailles, Inſcriptions, Statues, Dieux Lares, Peintures anciennes, & les Bas Reliefs, Pierres precieuſes & gravées, Cachets, Taliſmans, Anneaux, Manuſcrits, Langues, & autres choſes remarquables. Et l'avantage que la recherche de toutes ces Antiquitez procure aux Sçavans. Avec un Memoire de quelques Obſervations generales qu'on peut faire pour ne pas voyager inutilement. Par M. Baudelot de Dairval, Avocat en Parlement, enrichis de pluſieurs figures en taille douce, en Octavo, 2 voll.*

Stephanus de Urbibus, Gr. Lat. cum notis Gronovii, Berkelii & aliorum, fol.

Holſtenii notæ in Stephanum de Urbibus, Gr. Lat. ejuſdem Nymphæum cum fig. Diſſert. de Æneæ adventu, de Gigantibus, &c. fol.

Hippocratis Opera Omnia, Gr. Lat. cum notis Lindani, Octavo, 2 voll.

Ciceronis Opera quæ extant Omnia, ex MSS. codicibus emendata ſtudio atque induſtria Jani Gulielmii & Jani Gruteri, additis eorum notis integris: nunc denuo recognita ab Jacobo Gronovio, cujus ubique adjectæ ſunt emendationes, petitæ partim ex libris MSS. partim ex animadverſionibus Virorum Doctorum; etiam Orationibus illuſtratis acceſſione Aſconii Pediani & doctiſſimi Veteris Scholiaſtæ, nunquam antea editi: Appoſitis in margine ad utentis commodum numeris, non tantum Gruterianis, ſed etiam Apparatui Latinæ locutionis Nizoliano reſpondentibus; cum indicibus aliis correctis, aliis novis & accuratiſſimis. In magn. quarto, 4 voll.

— Idem in 12. ut ſupra cum ejuſd. notis ſub ſingul. pagin. poſitis, (xi voll.

— Epiſtolæ ad familiares, cum notis Gronovii, 12.

Ciceronis de Officiis ex recenſ. Gronovii, 12.

Ammianus Marcellinus, cum notis & Var. Lect. Lindenbrogii, Valeſiorum & Gronovii, nec non vetuſtiſſ. nummis & figuris adornata, fol.

— Idem, fol. Charta Majori.

— Idem, in magno quarto.

Quatuor Evangelia Gothica Anglo-Saxonica, cum Gloſſario Junii, quarto.

Valerius Maximus, 24.

Houtuyn Monarchia Hebræorum, 24.

Recueil ſur les differens des Quartiers à Rome, 8.

Briggs Opthalmographia & nova Viſionis Theoria, 12. cum fig.

Lipſius & alii de Cruce, 12. 2 voll. fig.

Weſenbecii Paratitla, cum notis Bacchovii, Brederodii, & aliorum, 4.

Thevet Vies des Hommes Illuſtres, avec leurs Pourtraits, 12 9 *voll.*

Burnet Hiſtoire de la Reformation d'Angleterre, 12. 4 *voll. avec fig.*

Conſtantii Landi, Complani, Comitis Numiſmatum præcipuæ Romanorum expoſitiones, cum vetuſtiſſ. nummis, 4.

Q. Curtius, cum notis Freinshemii, Salmaſii, & aliorum, 8.

Titus Livius, cum notis Gronovii & aliorum, 8. 3 voll.

Juvenalis cum Vett. Scholiaſt: & notis integris D. D. Virorum, ex recenſione Henninii, 4.

Arbeyd van Mars, of alle deſſelfs Werken, op nieuws vermeerdert door Aniſſon Mallet, 8. 3 *deelen, vol platen.*

Juſti Lipſii Opera Omnia, 8. 4 voll. cum fig.

Stedeboek van Savoyen en Piemont, met ſeer heerlijke platen, in folio, Atlas formaet, 2 *deelen.*

— *'t ſelve in 't Latijn, fol.* 2 *voll. Atlas papier.*

Hugo Grotius Droit de la Guerre, 12. 3 *voll.*

— *Jaarboeken en Hiſtorien, fol. met platen.*

Beſchryving van Morea en Archipel, fol. met kopere platen. 2 *deelen.*

Hiſtoriæ rei nummariæ veteris ſcriptores aliquot inſigniores, nempe M. Hoſti hiſtorica antiquitas Rei Nummariæ, Menſurarum, Ponderum, &c. Seldenus de Nummis. Labbé

Bibliotheca Nummaria & Budæus de aſſe & partibus ejus, 4. 2 voll.

Abrahami Gorlæi Antverpiani Dactyliothecae, ſeu annulorum ſigillarium quorum apud Priſcos tam Græcos quam Romanos uſus, ex Ferro, Aere, Argento & Auro promptuarii Pars Prima, collectis aliunde & ineditis & editis Annulorum figuris auctior; cum explicationibus Jacobi Gronovii, 4.

— Dactiliothecae Pars Secunda, ſeu Variarum Gemmarum, quibus antiquitas in ſignando uti ſolita, Scalpturae, triplo quam fuerunt, partim antehac ineditarum, partim ex ſcriptis eruditorum virorum collectarum numero locupletiores, cum ſuccincta ſingularum explicatione Jacobi Gronovii. Accedit Marbodaei, Galli, Caenomanenſis, Carmen de Gemmis & Lapidibus, 4.

— Idem 4. Charta Majori. 2 voll.

Lilii Gregorii Gyraldi Opera Omnia, continens Hiſtoria Deorum in XVII. ſyntagmata diviſa, (cum eorum Iconibus) quorum ultimum eſt de ſacrificiis, Libellus de Muſis. De Herculis Vita. De re nautica. De ſepulchris & ſepeliendi ritibus, cum notis J. Faez. Hiſtoria Poëtarum Græcorum & Latinorum dialogi, (cum eorum Iconibus & notis Colomeſii) quibus accedunt duo de Poëtis ſui temporis. Progymnaſmata adverſus literas & literatos. Expoſitio Ænigmatum antiquorum & Symbolorum Pythagoricorum. Pythagorica præcepta myſtica ab Plutarcho interpretata. Paræneſis in ingratos. Liber de annis, menſibus, cœteriſq. temporum partibus. Carmina & Epiſtolia, fol. 2 voll. cum Numiſmatib. & fig. æneis, ſub prælo.

Theſaurus Antiquitatum Romanarum, in quo continentur lectiſſimi quique Scriptores, qui ſuperiori aut noſtro ſeculo Romanæ reipublicæ rationem, diſciplinam, leges, inſtituta, ſacra, arteſque togatas ac ſagatas explicarunt & illuſtrarunt, congeſtus à Joh. Georgio Grævio: acceſſerunt variæ & accutatæ tabulæ Æneæ. In magno folio, 8 voll. ſub prælo, de quo jam duo volumina in lucem edita ſunt.

Some-

Someren Poëzy of uytſpanning van Vernuften, 4.

Solleyſel Mareſchal parfait, 4. 2 *voll.*

Boekeleri opuſcula de familiis veterum Juriſconſultorum, &c. 12.

Bebenburg de Juribus Regni & Imperii Romanorum, 4.

Cruſii Variæ Obſervationes Juridicæ & de Herædibus inſtituendis, 4.

Matthæus de Nobilitate, 4. cum fig.

Caroli Drelincurtii Homericus Achilles, editio altera auctior, 4.

Les Voyages de Monſr. de Monconys, en grand 12. 5. *voll. augmentées, avec figures.*

Munting Kruydboek, mitſgaders deſſelfs oeffening, in folio, vol heerlijke platen, van Boomen, Planten, Bloemen, &c. 2 *deelen, werd gedruckt.*

Hofmanni Lexicon Univerſale, ab ipſo auctorere viſum & quidem demiduo auctum, in folio, ſub prælo.

Leon. Auguſtini Gemmę & Sculpturę antiquę, cum earum enarratione, in Latinum verſa ab Jacobo Gronovio, 4. 2 voll.

Senecę Opera, cum notis Lipſii, fol.

Hankius de Byzantinarum rerum Scriptoribus, 4.

Herbinii Religioſę Kyovienſium Cryptę, cum fig 8.

Ovidii Metamorphoſis, figuris Æneis elegantiſſ. repreſentata à Bavern, fol.

Religio Exculpata, 4.

Coccæi Eer en Leer verdedigt tegen Hulſius, 4.

— ad Titum 4. Ch. Major.

— in Johannem, 4. Ch. Maj.

— in Catecheſin Heidelb. 8.

Ruyſch de Valvulis, 12.

Jacobus Nicolaus de Vulneribus J. Chriſti, 8.

Sauberti Diſſertationes Philologicę, 4.

— in Matthęum, 4.

Gotfried Chronyck van 't begin der Wereld tot 1618. *alles van nieuws overgeſet, en vervolght tot op deſe tijd, vol heerlijke kopere platen, in folio,* 3 *deelen. werd gedruckt.*

Laurenbergii Gręcia, cum Chartis Geographicis, *ſub prælo.*

Steno Anatome cerebri, 12.

& plures alii.

FINIS.